§. 1. Proposueram ante aliquot annos duo Theoremata, quae mihi quidem omni attentione digna videbantur, quorum altero statui, nullam prorsus dari curvam algebraicam, cujus longitudo indefinita cuipiam logarithmo aequatur; altero vero negavi, praeter circulum ullam exhiberi posse curvam algebraicam, cujus longitudo indefinita arcui cuipiam circulari aequatur. Utrum vero aliae dentur lineae curvae quarum rectificatio ita ipsis sit propria, ut eadem nullis aliis curvis algebraicis conveniat, quaestio est maxime ardua.

§. 2. Inveni quidem nonnullas curvas algebraicas, quarum longitudo indefinita aequatur arcui elliptico atque adeo etiam parabolico; at vero nullam adhuc investigare mihi licuit ejusmodi curvam algebraicam, cujus rectificatio cum hyperbola conveniret. Nuper autem incidi in ejusmodi formulas quae infinitas praebent curvas algebraicas quarum omnium longitudo indefinita ad arcum ellipticum reduci potest, quas idcirco curvas hic in medium attulisse operae pretium videtur, siquidem hoc argumentum plane est novum neque a quoquam satis dilucide pertractatum.

§. 3. Condiseravi scilicet curvam, cujus coordinatae orthogonales x et y his formulis exprimantur:

$$x = \frac{a \cos (n+1) \Phi}{n+1} + \frac{b \cos (n-1) \Phi}{n-1},$$
$$y = \frac{a \sin (n+1) \Phi}{n+1} + \frac{b \sin (n-1) \Phi}{n-1}.$$

Hinc ergo erit:

$$\frac{\partial x}{\partial \Phi} = -a \sin (n+1) \Phi - b \sin (n-1) \Phi$$
$$\frac{\partial y}{\partial \Phi} = a \cos (n+1) \Phi + b \cos (n-1) \Phi.$$

Hinc ergo erit elementum curvae:

$$\sqrt{\partial x^2 + \partial y^2} = \partial \Phi \sqrt{aa + bb + 2ab \cos 2\Phi},$$

quae formula manifesto rectificationem ellipsis involvit. Nam si coordinatae statuantur in ellipsi:

$$X = f \cos \Phi \text{ et } Y = g \sin \Phi \text{ erit}$$
$$\sqrt{\partial X^2 + \partial Y^2} = \partial \Phi \sqrt{ff \sin \Phi^2 + gg \cos \Phi^2},$$

quae formula, ob $\sin \Phi^2 = \frac{1 - \cos 2\Phi}{2}$ et $\cos \Phi^2 = \frac{1 + \cos 2\Phi}{2}$ abit in hanc: $\partial \Phi \sqrt{\frac{ff+gg}{2} + \frac{gg-ff}{2} \cos 2\Phi}$, ubi, si sumamus $g = a + b$ et $f = a - b$ ipsa nostra formula resultat, ita ut ellipseos eandem rectificationem habentis sint semiaxes $a + b$ et $a - b$.

§. 4. Quoniam igitur in elemento curvae $\sqrt{\partial x^2 + \partial y^2}$ numerus n non inest, ideoque arbitrio nostro prorsus relinquitur, manifestum est, innumerabiles exhiberi posse curvas algebraicas, quarum arcus adeo datae ellipseos arcubus aequentur, quae omnes curvae inter se maxime erunt diversae, atque pro variis valoribus, loco n assumtis, ad ordines curvarum algebraicarum plurimum diversos erunt referendae. Neque tamen hinc sequitur, etiamsi circulus sit species ellipsis, pro circulo quoque alias diversas curvas ejusdem rectificationis hoc modo assignari posse. Cum enim circulus prodeat, si ambo semiaxes f et g statuantur aequales, necesse est ut vel a vel b evanescat. Sumto autem $b = 0$ erit:

$$x = \frac{a \cos (n+1) \Phi}{n+1} \text{ et } y = \frac{a \sin (n+1) \Phi}{n+1},$$

sicque erit $xx + yy = \frac{aa}{(n+1)^2}$; quicquid pro n accipiatur semper igitur circulus oritur.

§. 5. Cum autem casu in istas formulas tantum incidissim, utique operae pretium erit in ejusmodi Analysin inquirere, quae, proposita Ellipsi, via directa ad formulas supra §. 3. allatas manuducat, quem in finem sequens Problema resolvendum suscipio.

Problema.

Proposita ellipsi, cujus coordinatae orthogonales X et Y his formulis definiantur:

$$X = 2f\cos\theta \quad et \quad Y = 2g\sin\theta,$$

invenire innumerabiles alias curvas algebraicas, quae cum ista ellipsi communem rectificationem sortiantur.

Solutio.

§. 6. Sint x et y coordinatae curvarum quaesitarum, et cum esse oporteat $\partial x^2 + \partial y^2 = \partial X^2 + \partial Y^2$ haec conditio implebitur, si sumatur:

$$\partial x = \partial X \cos\Phi + \partial Y \sin\Phi$$
$$\partial y = \partial X \sin\Phi - \partial Y \cos\Phi.$$

Jam quia hae formulae differentiales integrationem admittere debent, integrentur, qua fieri licet, more solito, ac reperietur:

$$x = X\cos\Phi + Y\sin\Phi + \int\partial\Phi\,(X\sin\Phi - Y\cos\Phi)$$
$$y = X\sin\Phi - Y\cos\Phi - \int\partial\Phi\,(X\cos\Phi + Y\sin\Phi).$$

§. 7. Cum jam sit $X = 2f\cos\theta$ et $Y = 2g\sin\theta$ sumamus angulum $\Phi = n\theta$ eritque per notas angulorum reductiones:

$$X\sin\Phi = f\sin(n+1)\theta + f\sin(n-1)\theta$$
$$X\cos\Phi = f\cos(n+1)\theta + f\cos(n-1)\theta$$
$$Y\sin\Phi = -g\cos(n+1)\theta + g\cos(n-1)\theta$$
$$Y\cos\Phi = g\sin(n+1)\theta - g\sin(n-1)\theta.$$

Ex his jam valoribus colligitur:

$$X \sin\Phi - Y\cos\Phi = (f-g)\sin(n+1)\theta + (f+g)\sin(n-1)\theta$$
$$X\cos\Phi + Y\sin\Phi = (f-g)\cos(n+1)\theta + (f+g)\cos(n-1)\theta,$$

quae aequationes, ductae in $\partial\Phi = n\partial\theta$, et integratae, si brevitatis gratia ponatur $f+g=b$ et $f-g=a$, dabunt:

$$\int\partial\Phi\,(X\sin\Phi - Y\cos\Phi) = -\frac{na\cos(n+1)\theta}{n+1} - \frac{nb\cos(n-1)\theta}{n-1}$$
$$\int\partial\Phi\,(X\cos\Phi + Y\sin\Phi) = +\frac{na\sin(n+1)\theta}{n+1} + \frac{nb\sin(n-1)\theta}{n-1}.$$

§. 8. Si igitur pro integralibus hi valores substituantur, nostrae coordinatae erunt:

$$x = \begin{array}{l} a\cos(n+1)\theta + b\cos(n-1)\theta \\ -\frac{na}{n+1}\cos(n+1)\theta - \frac{nb}{n-1}\cos(n-1)\theta \end{array}$$
$$y = \begin{array}{l} a\sin(n+1)\theta + b\sin(n-1)\theta \\ -\frac{na}{n+1}\sin(n+1)\theta - \frac{nb}{n-1}\sin(n-1)\theta. \end{array}$$

At binis membris rite conjunctis istae coordinatae pro curvis quaesitis cum ellipsi communem rectificationem habentibus, ita erunt expressae:

$$x = \frac{a}{n+1}\cos(n+1)\theta - \frac{b}{n-1}\cos(n-1)\theta$$
$$y = \frac{a}{n+1}\sin(n+1)\theta - \frac{b}{n-1}\sin(n-1)\theta,$$

quae expressiones a supra allatis aliter non differunt nisi quod hic littera b negative sit sumta. Ubi notandum, casu quo $n=0$ ipsam ellipsin esse prodituram. Posito enim $n=0$ fiet:

$$x = (a+b)\cos\theta \quad \text{et} \quad y = (a-b)\sin\theta.$$

§. 9. Si sumatur $n=2$ prodibit sine dubio curva post ellipsin simplicissima. Reperietur autem:

$$x = \frac{a}{3}\cos 3\theta - b\cos\theta \quad \text{et} \quad y = \frac{a}{3}\sin 3\theta - b\sin\theta.$$

Loco $\frac{a}{3}$ scribamus litteram c et quaeramus chordam $\sqrt{xx+yy}=z$, eritque $zz = cc + bb - 2bc \cos 2\theta$, consequenter $\cos 2\theta = \frac{bb + cc - zz}{2bc}$, hincque $\sin\theta = \sqrt{\frac{zz - (b-c)^2}{2bc}}$ et $\cos\theta = \sqrt{\frac{(b+c)^2 - zz}{2bc}}$. Hinc, cum sit $\sin 3\theta = 4 \sin\theta \cos\theta^2 - \sin\theta$ et $\cos 3\theta = 4\cos\theta^3 - 3\cos\theta$, si angulus θ eliminetur eruetur aequatio inter ipsas coordinatas x et y, quae autem ad plures dimensiones assurget.

§. 10. Methodus, qua has formulas indagavimus etiam multo latius patet atque ad alias curvas loco ellipsis assumtas extendi poterit. Si enim coordinatae pro curva data fuerint:

$$X = 2f \cos \alpha\theta + 2f' \cos \beta\theta + \text{etc.}$$
$$Y = 2g \sin \alpha\theta + 2g' \sin \beta\theta + \text{etc.}$$

pro reliquis curvis cum proposita communem rectificationem habentibus, ponendo iterum:

$$f - g = a;\ f + g = b \text{ et } f' - g' = a';\ f' + g' = b',$$

fiet

$$x = \frac{\alpha a}{n+\alpha} \cos(n+\alpha)\theta - \frac{\alpha b}{n-\alpha} \cos(n-\alpha)\theta + \frac{\beta a'}{n+\beta} \cos(n+\beta)\theta - \frac{\beta b'}{n-\beta} \cos(n-\beta)\theta + \text{etc.}$$

$$y = \frac{\alpha a}{n+\alpha} \sin(n+\alpha)\theta - \frac{\alpha b}{n-\alpha} \sin(n-\alpha)\theta + \frac{\beta a'}{n+\beta} \sin(n+\beta)\theta - \frac{\beta b'}{n-\beta} \sin(n-\beta)\theta + \text{etc.}$$

Ubi iterum, ob n numerum indefinitum innumerabiles curvae prodeunt.

X.

DE
INFINITIS CURVIS ALGEBRAICIS,
QUARUM LONGITUDO ARCUI PARABOLICO AEQUATUR.

Conventui exhibita die 20. Aug. 1781.

Problema.

Fig. 1. *Proposita parabola AYC, ad axem AB relata, cujus parameter sit $AB = BC$, invenire innumeras curvas algebraicas AZ, quarum arcus AZ aequales sint arcui parabolico AY.*

Constructio.

Ad axem AB, retro productam in F usque eadem describatur Parabola AG. In hac axe capiatur pro lubitu punctum F, ita tamen ut, ducta applicata FG, haec recta FG ad Parametrum AB rationem teneat rationalem, quae sit $\frac{AB}{FG} = n$. Tum enim ex quolibet tali puncto F construi poterit una curva AZ quaestioni satisfaciens.

Pro Parabolae enim puncto quocunque Y, abscissâ AX et applicatâ XY determinato, rectae FG normaliter jungatur $GV = XY$, ut obtineatur angulus $GFV = \theta$; quo invento capiatur angulus $AFZ = n\theta$, sumaturque $FZ = FX$, eritque Z punctum in curva quaesita, cujus arcus AZ aequalis erit arcui AY. Hoc igitur modo, cum punctum F infinitis modis assumi possit, construentur innumerae curvae AZ ejusdem indolis eademque proprietate gaudentes.

Demonstratio.

Posito $AB = BC = 2a$ sit $AX = x$ et $XY = y$, ideoque $yy = 2ax$, unde fit $\partial x = \frac{y\partial y}{a}$ et elementum Parabolae

$$\partial s = \partial y \sqrt{1 + \frac{yy}{aa}}.$$

Jam ponatur $AF = f$ et $FG = g$ erit quoque $gg = 2af$. Jam vocetur $FZ = FX = f + x = z$ atque angulus $AFZ = \Phi$ eritque elementum curvae quaesitae $= \sqrt{\partial z^2 + zz\partial\Phi^2}$. Fieri ergo debet:

$$\partial z^2 + zz\partial\Phi^2 = \partial y^2 + \frac{yy\partial y^2}{aa}.$$ Cum igitur sit:

$\partial z = \partial x = \frac{y\partial y}{a}$ fiet $zz\partial\Phi^2 = \partial y^2$ ideoque $\partial\Phi = \frac{\partial y}{z}$. Est vero $f = \frac{gg}{2a}$ et $x = \frac{yy}{2a}$, ergo $\partial\Phi = \frac{2a\,\partial y}{gg+yy}$. consequenter $\Phi = \frac{2a}{g}\,\mathrm{A\,tag}\,\frac{y}{g}$.
At vero est Arc tag $\frac{y}{g} = \theta$, et $\frac{2a}{g} = n$, ideoque $\Phi = n\theta$. Sumto ergo angulo $AFZ = n\theta$ et recta $FZ = FX$ punctum Z in tali erit curva, cujus elementum elemento Parabolae aequatur.



XI.

DE BINIS CURVIS ALGEBRAICIS EADEM RECTIFICATIONE GAUDENTIBUS.

Conventui exhibita die 20. Aug. 1781.

§. 1. Sint x et y coordinatae orthogonales unius, at X et Y alterius curvae, et quaestio eo redit, ut fiat $\partial x^2 + \partial y^2 = \partial X^2 + \partial Y^2$, ita tamen, ut omnes expressiones prodeant algebraicae. Hujus igitur Problematis duplicem hic sum traditurus solutionem, quae cum plurimum a se invicem discrepare videantur earum quoque consensum ostendere conveniet.

Solutio prior.

§. 2. Cum igitur reddi oporteat $\partial X^2 + \partial Y^2 = \partial x^2 + \partial y^2$, hoc praestabitur, si statuamus:

$$\partial X = \partial x \cos \Phi + \partial y \sin \Phi$$
$$\partial Y = \partial x \sin \Phi - \partial y \cos \Phi$$

ubi ergo angulum Φ ita comparatum esse necesse est, ut hae duae formulae integrationem admittant. Ad hoc efficiendum utar methodo olim a me tradita, ubi prima quasi elementa analyseos Infinitorum indeterminatae exposui. Tum igitur prodibit:

$$X = x \cos \Phi + y \sin \Phi + \int \partial \Phi (x \sin \Phi - y \cos \Phi)$$
$$Y = x \sin \Phi - y \cos \Phi - \int \partial \Phi (x \cos \Phi + y \sin \Phi).$$

Ubi ergo has duas formulas integrales integrabiles reddi oportet, id quod nulla difficultate laborat.

§. 3. Statuamus enim:

$$\int \partial \Phi (x \sin \Phi - y \cos \Phi) = P; \; \int \partial \Phi (x \cos \Phi + y \sin \Phi) = Q$$

eritque

$$x \sin\Phi - y \cos\Phi = \frac{\partial P}{\partial \Phi}; \quad x \cos\Phi + y \sin\Phi = \frac{\partial Q}{\partial \Phi}$$

ubi ergo pro P et Q functiones quascunque algebraicas ipsarum $\sin\Phi$ et $\cos\Phi$ accipere licet. Tum vero ex his duabus aequationibus ipsae coordinatae x et y sequenti modo determinantur:

$$x = \frac{\partial P \sin\Phi + \partial Q \cos\Phi}{\partial\Phi}$$

$$y = \frac{\partial Q \sin\Phi - \partial P \cos\Phi}{\partial\Phi}.$$

Ex quibus jam coordinatae alterius curvae sponte determinantur:

$$X = \frac{\partial Q}{\partial\Phi} + P; \quad Y = \frac{\partial P}{\partial\Phi} - Q.$$

Hinc ergo nullo plane labore innumerabilia binarum curvarum algebraicarum paria exhiberi poterunt, quae eadem rectificatione erunt praeditae.

§. 4. Quo hoc clarius appareat, sumamus differentialia capiendo $\partial\Phi$ constante, ac reperietur:

$$\partial x = \frac{\partial\partial P \sin\Phi + \partial\partial Q \cos\Phi}{\partial\Phi} + \partial P \cos\Phi - \partial Q \sin\Phi$$

$$\partial y = \partial\partial Q \sin\Phi - \partial\partial P \cos\Phi + \partial Q \cos\Phi + \partial P \sin\Phi$$

unde colligitur

$$\partial x^2 + \partial y^2 = \frac{\partial\partial P^2 + \partial\partial Q^2}{\partial\Phi^2} + \frac{2(\partial P \partial\partial Q - \partial Q \partial\partial P)}{\partial\Phi} + \partial P^2 + \partial Q^2.$$

Simili modo pro altera curva habebimus:

$$\partial X = \frac{\partial\partial Q}{\partial\Phi} + \partial P \text{ et } \partial Y = \frac{\partial\partial P}{\partial\Phi} - \partial Q,$$

ex quibus pro arcus elemento erit

$$\partial X^2 + \partial Y^2 = \frac{\partial\partial Q^2 + \partial\partial P^2}{\partial\Phi^2} + \frac{2(\partial P \partial\partial Q - \partial Q \partial\partial P)}{\partial\Phi} + \partial P^2 + \partial Q^2$$

ideoque $\partial X^2 + \partial Y^2 = \partial x^2 + \partial y^2$, uti requiritur.

Solutio posterior.

§. 5. Cum effici debeat $\partial x^2 + \partial y^2 = \partial X^2 + \partial Y^2$ erit $\partial x^2 - \partial X^2 = \partial Y^2 - \partial y^2$, ad quam aequationem resolvendam statuamus $x + X = M$; $x - X = m$; $Y + y = N$; $Y - y = n$, quo facto fieri debet $\partial M \partial m = \partial N \partial n$, consequenter $\frac{\partial M}{\partial n} = \frac{\partial N}{\partial m}$ quarum duarum fractionum utraque ponatur $= t$ ut habeamus primo

$\partial M = t\partial n$, ideoque $M = tn - \int n\partial t$. Simili modo pro altera erit $\partial N = t\partial m$, ergo $N = tm - \int m\partial t$.

§. 6. Hoc igitur modo novam variabilem t in calculum introduximus ex qua ipsas coordinatas facile definire licebit. Ponamus enim $\int n\partial t = U$, ut fiat $n = \frac{\partial U}{\partial t}$, hinque $M = \frac{t\partial U}{\partial t} - U$. Simili modo, ponendo $\int m\partial t = V$ habebimus $m = \frac{\partial V}{\partial t}$, hinc $N = \frac{t\partial V}{\partial t} - V$, ubi U et V denotent functiones quascunque ipsius t.

§. 7. Ex his jam valoribus ipsae coordinatae utriusque curvae sponte se produnt. Cum enim sit

$$x = \frac{M+m}{2};\ X = \frac{M-m}{2};\ Y = \frac{N+n}{2};\ y = \frac{N-n}{2};$$

nihil impedit quominus has formulas duplicemus hincque coordinatae utriusque curvae sequenti modo exprimentur:

$$x = \frac{t\partial U - U\partial t + \partial V}{\partial t};\quad X = \frac{t\partial U - U\partial t - \partial V}{\partial t};$$
$$y = \frac{t\partial V - V\partial t - \partial U}{\partial t};\quad Y = \frac{t\partial V - V\partial t + \partial U}{\partial t}.$$

§. 8. Videamus nunc etiam, quomodo hae formulae quaestioni propositae satisfaciant. Ac sumto elemento ∂t constante elementa pro priore curva erunt:

$$\partial x = \frac{t\partial\partial U + \partial\partial V}{\partial t};\quad \partial y = \frac{t\partial\partial V - \partial\partial U}{\partial t},\quad \text{unde fit}$$
$$\partial x^2 + \partial y^2 = \frac{(1+tt)(\partial\partial U^2 + \partial\partial V^2)}{\partial t^2}.$$

Pro altera curva habebimus:

$$\partial X = \frac{t\partial\partial U - \partial\partial V}{\partial t};\quad \partial Y = \frac{t\partial\partial V + \partial\partial U}{\partial t},\quad \text{hincque}$$
$$\partial X^2 + \partial Y^2 = \frac{(1+tt)(\partial\partial U^2 + \partial\partial V^2)}{\partial t^2}.$$

§. 9. Quamquam hae duae solutiones toto coelo a se invicem discrepare videntur, tamen nullum dubium, quin inter se pulcherrime consentiant, cum utraque omnes plane casus satisfacientes complecti debeat. Interim tamen, si solutiones simpliciores desideremus prior ad hunc scopum magis apta deprehenditur, quippe quae ita restricta ut ponatur $Q = 0$ adhuc plurimas solutiones memorabiles suppeditat. Posito autem $Q = 0$ coordinatae binarum curvarum per formulas istas simplicissimas exprimentur:

$$x = \frac{\partial P \sin\Phi}{\partial\Phi}; \quad X = P$$

$$y = \frac{\partial P \cos\Phi}{\partial\Phi}; \quad Y = \frac{\partial P}{\partial\Phi}.$$

Ubi cum sit $P = X$ adeo immediate ex posteriore curva ad priorem procedere licebit, ita ut altera curvarum quaesitarum nunc quasi cognita spectari possit, id quod in formulis generalibus nullo modo fieri potest. Hanc igitur solutionem, etsi maxime particularem fusius prosequi conveniet, ubi quidem litteras majusculas et minusculas inter se permutemus.

Solutio particularis,

has coordinatas complectens:

$$x = P; \quad X = \frac{\partial P \sin\Phi}{\partial\Phi}$$

$$y = \frac{\partial P}{\partial\Phi}; \quad Y = \frac{\partial P \cos\Phi}{\partial\Phi}.$$

§. 10. Cum hic pro priore curva sit $P = x$ erit $y = \frac{\partial x}{\partial\Phi}$, unde fit $\partial\Phi = \frac{\partial x}{y}$; cum igitur $\partial\Phi$ sit elementum arcus circularis, quoties aequatio inter x et y ita fuerit comparata, ut formula integralis $\int \frac{\partial x}{y}$ arcum circularem exprimat, toties alia curva exhiberi poterit eandem rectificationem involvens, quippe pro qua habebitur 1°) $\frac{X}{Y} = \operatorname{tag}\Phi$; deinde quoque habebitur:

$$\sqrt{X^2 + Y^2} = \frac{\partial x}{\partial\Phi} = y,$$

ita ut chorda curvae quaesitae semper aequalis sit applicatae alterius curvae. Tales igitur casus accuratius evolvere operae erit pretium.

Evolutio casus
quo pro curva data est $y = \frac{aa + xx}{b}$.

§. 11. Hic statim patet istam aequationem pertinere ad Parabolam, cujus parameter $= b$, eamque adeo permanere eandem, utcunque quantitas a immutetur, cum tantum initium applicatarum mutetur, quamobrem si curva quaesita ab a pendebit, hinc infinitae adeo curvae diversae reperientur quae cum parabola communi gaudeant rectificatione.

§. 12. Hinc igitur fiet $\partial\Phi = \frac{b dx}{aa + xx}$, ubi ponamus $b = na$, ut integrando prodeat $\Phi = n \, \text{A tag} \, \frac{x}{a}$. Quia igitur volumus ut parameter b invariatus maneat, erit $a = \frac{b}{n}$, sive $n = \frac{b}{a}$, ita ut numerus n rationem inter parametrum b et quantitatem arbitrariam a involvat. Hinc igitur fiet $x = a \, \text{tag} \, \frac{\Phi}{n}$. Unde patet, ut formulae nostrae prodeant algebraicae, numerum n absolute rationalem esse debere; alioquin enim ad genus quantitatum quae interscendentes appellari solent devolveremur.

§. 13. Cum igitur hinc sit $\partial x = \frac{a \partial \Phi}{n \cos \frac{\Phi^2}{n}}$, erit pro curva quaesita $\sqrt{X^2 + Y^2} = y$ et $\frac{X}{Y} = \text{tag}\, \Phi$. Quia igitur angulus Φ ex ipsa aequatione pro curva data innotescit, haec curva facile geometrice construi poterit, atque constructio eadem plane prodit, quam non ita pridem pro infinitis curvis algebraicis, quae cum parabola communem rectificationem habeant, dedi.

Evolutio casus,
quo pro curva data est $ny = \sqrt{aa - xx}$.

§. 14. Hic igitur erit $\partial \Phi = \frac{\partial x}{y} = \frac{n \partial x}{\sqrt{aa - xx}}$ ideoque $\Phi = n \text{A} \sin \frac{x}{a}$, unde fit $x = a \sin \frac{\Phi}{n}$ et $y = \frac{a}{n} \cos \frac{\Phi}{n}$. Evidens autem est hanc curvam datam esse ellipsin cujus alter semiaxis $= a$, alter vero $\frac{a}{n}$. Pro curva quaesita igitur habebimus ejus chordam $\sqrt{X^2 + Y^2} = \frac{a}{n} \cos \frac{\Phi}{n}$ et $\frac{X}{Y} = \operatorname{tag} \Phi$, unde iterum constructio facillima deducitur, si modo n fuerit numerus rationalis. Cognita enim chorda et angulo quo ea ad axem fixum inclinatur constructio facillime expedietur.

§. 15. Hic ante omnia observasse juvabit, si pro data curva circulum accipiamus, ut sit $n = 1$, fore $y = \sqrt{aa - xx}$. Ponamus brevitatis gratia $\sqrt{X^2 + Y^2} = Z$, et cum sit $y = Z = \sqrt{aa - xx}$, erit $x = \sqrt{aa - ZZ}$, hincque $\operatorname{tag} \Phi = \frac{X}{Y} = \frac{x}{y} = \frac{\sqrt{aa - ZZ}}{Z}$. Hinc fiet $\frac{X^2}{Y^2} = \frac{aa - ZZ}{ZZ}$ sive $ZZ(XX + YY) = aaYY$ seu $Z^4 = aaYY$ atque $ZZ = aY$, quae est aequatio pro circulo, ita ut etiam nunc nulla curva exhiberi posse videatur, quae cum circulo communi rectificatione gaudeat praeter ipsum circulum.

§. 16. Consideremus etiam casum quo $n = 2$ quo fit

$$x = \sin \frac{\Phi}{2} \text{ et } y = \frac{a}{2} \cos \frac{\Phi}{2}.$$

Hinc igitur erit $Z = \frac{a}{2} \cos \frac{\Phi}{2}$. Cum igitur sit $\operatorname{tag} \Phi = \frac{X}{Y}$ erit $\cos \Phi = \frac{Y}{Z}$. Cum autem $\cos \frac{1}{2} \Phi = \sqrt{\frac{1 + \cos \Phi}{2}}$, pro curva quaesita oritur haec aequatio:

$$Z = \frac{a}{2} \sqrt{\frac{Z + Y}{2Z}}; \text{ ideoque } 8Z^3 = aa(Z + Y),$$

quae expressio, ob $Z = \sqrt{XX + YY}$ ad rationalitatem perducta ad gradum sextum ascendit.

Evolutio casus,

quo pro curva data est $my = b + \sqrt{aa - xx}$.

§. 17. Evidens est hanc aequationem semper esse pro ellipsi, quicunque valor litterae b tribuatur, atque adeo casu $n = 1$

hanc curvam fore circulum. Tum autem habebimus $\partial\Phi = \frac{n\,\partial x}{b+\sqrt{aa-xx}}$, quae expressio, posito $x = \frac{2au}{1+uu}$, unde fit $\partial x = \frac{2a\,\partial u(1-uu)}{(1+uu)^2}$ et $\sqrt{aa-xx} = \frac{a(1-uu)}{1+uu}$, induit hanc formam: $\partial\Phi = \frac{2na\,\partial u(1-uu)}{(1+uu)(b+a+uu(b-a))}$ quam in duas hujusmodi partes discerpere licet

$$\frac{\alpha\,\partial u}{1+uu} + \frac{\beta\,\partial u}{b+a+(b-a)uu},$$

quarum integratio utraque ad arcum circuli deducitur, si modo fuerit $b > a$.

§. 18. Resolutione autem facta reperitur $\alpha = 2n$ et $\beta = -2nb$, ita ut habeamus $\partial\Phi = \frac{2n\,\partial u}{1+uu} - \frac{2nb\,\partial u}{b+a+(b-a)uu}$. Cum jam in genere sit $\int \frac{\partial u}{f+guu} = \frac{1}{\sqrt{fg}}\,\text{A tag}\,\frac{u\sqrt{g}}{\sqrt{f}}$, erit

$$\Phi = 2n\,\text{A tag}\,u - \frac{2nb}{\sqrt{bb-aa}}\,\text{A tag}\,u\sqrt{\frac{b-a}{b+a}}.$$

Haec igitur aequatio ut primo fiat realis necesse est ut sit $b > a$; deinde ut etiam algebraica fiat necesse est ut tam $2n$ quam $\frac{2nb}{\sqrt{bb-aa}}$ sint numeri rationales. Hunc in finem ejusmodi rationem inter b et a statui oportet, ut fiat $\frac{b}{\sqrt{bb-aa}} = \lambda$, numerus rationalis, unde fit $\frac{b}{a} = \frac{\lambda}{\sqrt{\lambda\lambda-1}}$, sicque erit

$$\frac{b-a}{b+a} = \frac{\lambda-\sqrt{\lambda\lambda-1}}{\lambda+\sqrt{\lambda\lambda-1}} = \frac{1}{(\lambda+\sqrt{\lambda\lambda-1})^2} \text{ ideoque } \sqrt{\frac{b-a}{b+a}} = \frac{1}{\lambda+\sqrt{\lambda\lambda-1}},$$

quo valore substituto fiet

$$\Phi = 2n\,\text{A tag}\,u - 2n\lambda\,\text{A tag}\,\frac{u}{\lambda+\sqrt{\lambda\lambda-1}}.$$

§. 19. Componitur ergo angulus Φ ex duobus angulis quos vocemus ζ et η, quorumque ergo tangentes per u ita exprimuntur, ut sit $\text{tag}\,\zeta = u$ et $\text{tag}\,\eta = \frac{u}{\lambda+\sqrt{\lambda\lambda-1}}$, tum vero erit $\Phi = 2n\zeta - 2n\lambda\eta$ sive $\frac{\Phi}{2n} = \zeta - \lambda\eta$. Nunc evidens est si modo λ fuerit numerus rationalis etiam anguli $\lambda\eta$ tangentem algebraice per u exprimi; ergo etiam tangens differentiae horum angulorum, hoc est anguli $\frac{\Phi}{2n}$, aequabitur functioni algebraicae ipsius u ideoque etiam tangens ipsius anguli Φ, si modo n fuerit numerus rationalis, unde patet hanc solutionem ad alias ellipses adaptari non posse.

§. 20. Cum igitur ellipsis quam consideremus eadem maneat quicunque valor ipsi b tribuatur, ad ejus indolem cognoscendam sumamus $b = 0$, ut sit $y = \frac{\sqrt{aa - xx}}{n}$, unde patet ejus semiaxem transversum fore $= a$, ubi scilicet $y = 0$, conjugatum vero $= \frac{a}{n}$. Quare noster calculus ad alias ellipses accommodari nequit, nisi quarum axes inter se teneant rationem rationalem. Praeterea vero pro b alios valores assumere non licet, nisi quibus fit $\frac{b}{\sqrt{bb - aa}} =$ numerus rationalis. Unde patet, nihilominus semper innumeras curvas algebraicas inveniri posse quae cum tali ellipsi communem rectificationem contineant.

§. 21. Cum igitur pro curva quaesita sit $\frac{X}{Y} = \text{tag}\, \Phi$, etiam haec fractio $\frac{X}{Y}$ per functionem algebraicam ipsius u exprimetur. Deinde quia invenimus $\sqrt{X^2 + Y^2} = y = \frac{b + \sqrt{aa - xx}}{n}$, etiam haec chorda per functionem algebraicam ipsius u exprimetur, cum sit $x = \frac{2au}{1 + uu}$, et $\sqrt{aa - xx} = \frac{a(1 - uu)}{1 + uu}$, unde fit

$$\sqrt{X^2 + Y^2} = \frac{b + a + (b - a)uu}{n(1 + uu)}.$$

Quamobrem cum ambae hae formulae: $\frac{X}{Y}$ et $\sqrt{X^2 + Y^2}$ per functiones algebraicas ejusdem quantitatis u determinentur, eliminando hanc quantitatem u, id quod facile fit ex valore ipsius $\sqrt{X^2 + Y^2}$, quippe quo posito $= Z$, colligitur $uu = \frac{b + a - nZ}{nZ - (b - a)}$. Hic igitur valor, in formula pro tag Φ inventa, cui $\frac{X}{Y}$ aequatur, substitutus, praebebit aequationem algebraicam inter binas coordinatas curvae quaesitae X et Y, ob $Z = \sqrt{X^2 + Y^2}$, quae autem plerumque ad plurimas dimensiones exsurget.

§. 22. Hic probe notandum est, quoniam (vid. Nov. Act. T. V.) infinitas curvas algebraicas determinavi, quae cum data Ellipsi quacunque communi gaudeant rectificatione solo circulo excepto eas curvas ab iis quas nunc invenimus prorsus esse diversas; neque etiam patet quomodo illae ex solutione particulari qua hic usi sumus deduci queant. Facile autem derivari possunt ex formulis generalibus primae solutionis, id quod hic ostendisse operae pretium videtur.

§. 23. Quia ibi pro altera curva dedimus hos valores:

$$x = \frac{\partial P \sin\Phi + \partial Q \cos\Phi}{\partial\Phi} \text{ et } y = \frac{\partial Q \sin\Phi - \partial P \cos\Phi}{\partial\Phi}$$

sumamus $\frac{\partial P}{\partial\Phi} = -a\cos(n+1)\Phi + b\cos(n-1)\Phi$ et

$$\frac{\partial Q}{\partial\Phi} = a\sin(n+1)\Phi + b\sin(n-1)\Phi, \text{ eritque}$$

$$x = (a+b)\sin n\Phi \text{ et } y = (a-b)\cos n\Phi$$

unde manifesto fit $\frac{xx}{(a+b)^2} + \frac{yy}{(a-b)^2} = 1$, quae aequatio est pro ellipsi, cujus semiaxes sunt $a+b$ et $a-b$.

§. 24. Ex his autem valoribus differentialibus colligitur integrando:

$$P = -\frac{a\sin(n+1)\Phi}{n+1} + \frac{b\sin(n-1)\Phi}{n-1}$$

$$Q = -\frac{a\cos(n+1)\Phi}{n+1} - \frac{b\cos(n-1)\Phi}{n-1}.$$

Quare cum pro altera curva invenerimus:

$$X = \frac{\partial Q}{\partial\Phi} + P \text{ et } Y = \frac{\partial P}{\partial\Phi} - Q,$$

isti valores ita se habebunt:

$$X = \frac{na}{n+1}\sin(n+1)\Phi + \frac{nb}{n-1}\sin(n-1)\Phi$$

$$Y = -\frac{na}{n+1}\cos(n+1)\Phi + \frac{nb}{n-1}\cos(n-1)\Phi.$$

Unde patet, quoniam numerus n penitus arbitrio nostro relinquitur, ex his formulis infinitas prodire curvas algebraicas, nulla alia conditione restrictas, nisi ut n sit numerus rationalis, exceptis tantum duobus casibus $n = 1$ et $n = -1$, simul vero intelligitur, utcunque ratio inter axes fuerit irrationalis curvas quaesitas non turbari.

Problema.

Consensum inter ambas solutiones generales monstrare et substitutiones indagare, quibus altera in alteram converti queat.

Solutio.

§. 25. Quoniam in formulis supra datis tam coordinatas quam functiones inter se permutare licet, ad calculi commoditatem priores coordinatas x et y sequenti modo repraesentemus:

pro priore solutione	pro posteriore solutione
$x = \frac{\partial P \cos\Phi - \partial Q \sin\Phi}{\partial \Phi}$	$x = \frac{\partial U}{\partial t} - \frac{t\partial V}{\partial t} + V$
$y = \frac{\partial P \sin\Phi + \partial Q \cos\Phi}{\partial \Phi}$	$y = \frac{\partial V}{\partial t} + \frac{t\partial U}{\partial t} - U.$

Hic igitur ostendendum, qualem relationem primo inter Φ et t, deinde vero inter functiones p, q et V, U statui oporteat, ut isti duplices valores ipsarum x et y ad identitatem revocentur.

§. 26. Hunc in finem ante omnia necesse est multitudinem quantitatum quae hic occurrunt imminuere, id quod pulcherrime succedit, si pro priore solutione statuamus $P + Q\sqrt{-1} = \Theta$; tum enim fiet $x + y\sqrt{-1} = \frac{\cos\Phi + \sqrt{-1}\sin\Phi}{\partial\Phi}\partial\Theta$. Pro altera vero solutione ponamus $U + V\sqrt{-1} = \Pi$, ac reperietur

$$x + y\sqrt{-1} = \frac{\partial\Pi}{\partial t}(1 + t\sqrt{-1}) - \Pi\sqrt{-1}.$$

Haec autem expressio ad hanc formam redigitur:

$$x + y\sqrt{-1} = \frac{(1 + t\sqrt{-1})^2}{\partial t}\partial \cdot \frac{\Pi}{1 + t\sqrt{-1}}.$$

Totum negotium ergo huc redit, ut hae duae formulae pro $x+y\sqrt{-1}$ inventae consentientes reddantur.

§. 27. Quo factores priores ad majorem uniformitatem revocemus ponamus $t = \text{tag}\,\omega$ eritque $1+t\sqrt{-1} = \frac{\cos\omega+\sqrt{-1}\sin\omega}{\cos\omega}$ et $\partial t = \frac{\partial\omega}{\cos\omega^2}$ unde fit $\frac{(1+t\sqrt{-1})^2}{\partial t} = \frac{\cos 2\omega+\sqrt{-1}\sin 2\omega}{\partial\omega}$. Quamobrem nunc ista aequalitas erit docenda:

$$\frac{\cos\Phi+\sqrt{-1}\sin\Phi}{\partial\Phi}\cdot\partial\Theta = \frac{\cos 2\omega+\sqrt{-1}\sin 2\omega}{\partial\omega}\,\partial\cdot\frac{\Pi\cos\omega}{\cos\omega+\sqrt{-1}\sin\omega}$$

et nunc evidens est statui debere $\Phi = 2\omega$; tum enim dividendo utrinque per $\frac{\cos 2\omega+\sqrt{-1}\sin 2\omega}{\partial\omega}$ orietur ista aequalitas satis simplex:

$$\tfrac{1}{2}\partial\Theta = \partial\frac{\Pi\cos\omega}{\cos\omega+\sqrt{-1}\sin\omega}.$$

Integralibus igitur sumendis debet esse $\Theta = \frac{2\Pi\cos\omega}{\cos\omega+\sqrt{-1}\sin\omega}$ sive

$$\Theta(\cos\omega+\sqrt{-1}\sin\omega) = 2\,\Pi\cos\omega.$$

§. 28. Restituamus nunc loco Θ et Π valores assumtos orieturque haec aequatio:

$$(P+Q\sqrt{-1})(\cos\omega+\sqrt{-1}\sin\omega) = 2\cos\omega(U+V\sqrt{-1})$$

unde partes reales et imaginarias seorsim inter se aequari oportet, hincque ergo duae sequentes determinationes deducuntur:

$$2\,U\cos\omega = P\cos\omega - Q\sin\omega$$
$$2\,V\cos\omega = P\sin\omega + Q\cos\omega$$

ubi meminisse oportet esse $t = \text{tag}\,\omega$ et $\Phi = 2\omega$ sicque si in solutione posteriore loco U et V isti valores substituantur:

$$U = \frac{P\cos\omega - Q\sin\omega}{2\cos\omega} \quad\text{et}\quad V = \frac{P\sin\omega+Q\cos\omega}{2\cos\omega},$$

ea in priorem convertetur.

§. 29. Vicissim igitur functiones P et Q per U et V ita definientur, $P = 2\,U\cos\omega^2 + 2\,V\sin\omega\cos\omega$ sive

$$P = U(1+\cos 2\omega) + V\sin 2\omega$$
$$\text{et } Q = V(1+\cos 2\omega) - U\sin 2\omega.$$

Hoc igitur modo patet non solum binas expressiones perfecte inter se consentire, sed etiam substitutiones habentur, quibus altera in alteram converti potest.

§. 30. Ostendamus igitur clarius quomodo posteriores formulae ad priores reduci debeant. Ac primo quidem cum sit:

$$t = \operatorname{tag}\omega = \operatorname{tag}\tfrac{1}{2}\Phi, \text{ erit } t = \frac{\sin\Phi}{1+\cos\Phi} \text{ et } \partial t = \frac{\partial\Phi}{1+\cos\Phi};$$

tum vero erit etiam:

$$U = \frac{P}{2} - \frac{Q\sin\Phi}{2(1+\cos\Phi)} \text{ et } V = \frac{Q}{2} + \frac{P\sin\Phi}{2(1+\cos\Phi)}.$$

Simili modo priores ex posterioribus nascentur; namque ob

$$\operatorname{tag}\tfrac{1}{2}\Phi = t \text{ erit } \sin\Phi = \frac{2t}{1+tt} \text{ et } \cos\Phi = \frac{1-tt}{1+tt}$$

tum vero $\partial\Phi = \frac{2\partial t}{1+tt}$, functiones vero P et Q ita definientur ut sit

$$P = \frac{2U+2Vt}{1+tt} \text{ et } Q = \frac{2V-2Ut}{1+tt}.$$

§. 31. Sufficiet autem consensum inter formulas binas pro coordinatis x et y ostendisse quandoquidem nullum dubium superesse potest quin per has substitutiones etiam formulae pro coordinatis X et Y alterae in alteras convertantur, atque hoc modo quaestioni principali quam hic tractare suscepimus perfecte est satisfactum, dum nostrae formulae omnia binarum curvarum algebraicarum paria largiuntur, quae eadem rectificatione sint praeditae.

XII.

DE CURVIS ALGEBRAICIS

QUARUM OMNES ARCUS PER ARCUS CIRCULARES METIRI LICEAT.

Conventui exhibita die 20. Aug. 1781.

§. 1. Non dubitavi ante aliquot annos istam propositionem tanquam insigne theorema in medium proferre: quod praeter circulum nulla detur curva algebraica, cujus arcubus omnibus aequales arcus circulares assignari queant. Plures etiam adduxi rationes satis probabiles, quae me iu hac opinione confirmabant, quanquam probe perspexi eas a perfecta demonstratione adhuc plurimum distare. Praecipua autem ratio mihi erat, quod, postquam in hoc argumento plurimum elaborassem, nullam tamen hujusmodi curvam elicere potuerim.

§. 2. Quamobrem, cum nuper in simili argumento occupatus in genere binas curvas algebraicas investigassem, quae communi rectificatione gauderent, indeque infinitas curvas algebraicas investigassem, quarum longitudo per arcus parabolicos metiri liceret, tum vero etiam infinitas curvas algebraicas, cum Ellipsi eadem rectificatione gaudentes, maxime obstupui, quod, etiamsi ellipsin in circulum converterem, nihilominus curvae inventae a circulo essent diversae. Sententiam igitur meam hic solenniter retractans methodum facilem exponam cujus ope innumerabiles curvae algebraicae inveniri possunt, quarum omnes arcus circularibus sunt aequales.

§. 3. Proposito igitur circulo centro c, radio ca descripto, concipiamus curvam AZ ita comparatam ut ejus arcus indefinitus AZ semper aequalis sit arcui indefinito illius circuli az, quo vocato $az = \omega$ sit quoque arcus $AZ = \omega$. Hanc jam curvam ad centrum quoddam fixum C refero, ejusque naturam per aequationem inter distantiam $CZ = z$ et angulum $ACZ = \Phi$ investigabo, ut quaesito satisfiat. Cum igitur hinc sit arcus $AZ = \int \sqrt{\partial z^2 + zz\partial\Phi^2}$ fieri debet $\partial\omega^2 = \partial z^2 + zz\partial\Phi^2$, unde deducitur $\partial\Phi = \frac{\sqrt{\partial\omega - \partial z^2}}{z}$, ubi ergo totum negotium huc redit ut ejusmodi relatio inter z et ω exquiratur, quae integrale hujus formulae $\Phi = \int \frac{\sqrt{\partial\omega^2 - \partial z^2}}{z}$ per arcum circularem simpliciter exprimat. Fig. 2. 3.

§. 4. Observavi autem hoc satis commode praestari posse si statuamus distantiam $CZ = b + \cos\omega$, quem in finem sumo intervallum $cb = b$, ac demisso ex z perpendiculo zp fiet $cp = \cos\omega$, sicque distantia CZ semper aequalis capi debet intervallo bp. Unde patet pro initio A nostrae curvae fore distantiam $CA = ba = b + 1$. Cum igitur hinc fiat $\partial z = -\partial\omega \sin\omega$ formula differentialis pro $\partial\Phi$ data, posito $z = b + \cos\omega$, induet hanc formam satis concinnam $\partial\Phi = \frac{\partial\omega \cos\omega}{b + \cos\omega}$ cujus ergo integrale arcui circulari aequale esse debet.

§. 5. Ista autem formula sponte in has partes discerpitur: $\partial\Phi = \partial\omega - \frac{b\partial\omega}{b + \cos\omega}$, quarum prima per se est elementum circuli. Pro altera parte ponamus $\tan\frac{1}{2}\omega = t$, fietque $\partial\omega = \frac{2\partial t}{1 + tt}$; tum vero fit $\sin\frac{1}{2}\omega = \frac{t}{\sqrt{1 + tt}}$ et $\cos\frac{1}{2}\omega = \frac{1}{\sqrt{1 + tt}}$, unde colligitur:

$$\cos\omega = \cos\tfrac{1}{2}\omega^2 - \sin\tfrac{1}{2}\omega^2 = \frac{1 - tt}{1 + tt}.$$

Erit ergo $b + \cos\omega = \frac{b + 1 + (b - 1)tt}{1 + tt}$, sicque erit $\frac{b\partial\omega}{b + \cos\omega} = \frac{2b\partial t}{(b + 1) + (b - 1)tt}$ cujus integratio semper ad arcum circularem reducitur dummodo fuerit $b > 1$.

§. 6. Ad hoc integrale inveniendum notetur esse in genere

$$\int \frac{\partial t}{f + gtt} = \frac{1}{\sqrt{fg}} \text{ A tag } \frac{t\sqrt{g}}{\sqrt{f}},$$

unde pro nostro casu erit angulus $\Phi = \omega - \frac{2b}{\sqrt{bb-1}} \text{ A tag } t\sqrt{\frac{b-1}{b+1}}$. At vero ut horum angulorum differentia geometrice assignari queat necesse est ut coëfficiens $\frac{2b}{\sqrt{bb-1}}$ sit numerus rationalis; atque adeo jam evidens est, quoties hoc contigerit, semper prodituram esse curvam algebraicam AZ cum circulo proposito arcus aequales habentem.

§. 7. Cum sit $z = b + \cos\omega$ plures egregiae proprietates hujus curvae se offerunt, quas probe notari conveniet; namque si ad Z ducatur tangens ZT et vocetur angulus $CZT = \psi$, erit $\sin\psi = \frac{z\partial\Phi}{\partial\omega}$; ergo, ob $\partial\Phi = \frac{\partial\omega\cos\omega}{b+\cos\omega}$ erit $\sin\psi = \cos\omega$, ita ut angulus CZT semper aequetur $90^\circ - \omega$, ideoque, ob $AZ = \omega$ semper erit $\psi = \frac{\pi}{2} - \omega$, denotante $\frac{\pi}{2}$ angulum rectum. Hinc si ex C in tangentem demittatur perpendiculum CT, erit

$$CT = z\sin\psi = z\cos\omega = (b + \cos\omega)\cos\omega.$$

Posito autem hoc perpendiculo $CT = p$, constat semper esse radium osculi curvae $= \frac{z\partial z}{\partial p}$. Cum igitur sit

$$z\partial z = -\partial\omega\sin\omega\,(b+\cos\omega) \text{ et } \partial p = -\partial\omega\sin\omega\,(b+2\cos\omega),$$

erit radius osculi curvae in Z, quem vocemus $r = \frac{b+\cos\omega}{b+2\cos\omega}$ qui ergo in initio, ubi $\omega = 0$ erit $r = \frac{b+1}{b+2}$, ideoque minor quam in circulo. At vero pro arcu $\omega = \frac{\pi}{2}$ erit $r = 1$, ideoque radio circuli aequalis. Sumto autem $\omega = \pi$ erit $r = \frac{b-1}{b-2}$. Unde patet, nisi sit $b > 2$ hunc radium osculi fieri negativum, sive in plagam contrariam vergere, ideoque interea curvam punctum flexus contrarii esse passam, quod eveniet, ubi $\cos\omega = -\frac{b}{2}$, quod ergo $\omega = 90^\circ$ et $\omega = 180^\circ$ cadet. Hocque loco radius osculi erit infinite magnum. Praeterea cum sit $\partial\Phi = \frac{\partial\omega\cos\omega}{b+\cos\omega}$, manifestum est curvam supra axem ascendere, sive angulum $ACZ = \phi$ augeri ab $\omega = 0$ ad $\omega = 90^\circ$ hinc autem istum angulum iterum decrescere atque adeo curvam axem AC secare antequam fiat $\omega = 180^\circ$ quia tum angulus ϕ fiet negativus. Quia enim posito $\omega = 180^\circ$ fit $t = \infty$ ideoque $A\,\mathrm{tag}\, t\sqrt{\frac{b-1}{b+1}} = 90^\circ$, ideoque

$$\phi = \omega = 180^\circ\left(1 - \frac{b}{\sqrt{bb-1}}\right), \text{ ubi } \frac{b}{\sqrt{bb-1}} > 1.$$

§. 8. Ex radio osculi invento $r = \frac{b+\cos\omega}{b+2\cos\omega}$ etiam commode assignari potest amplitudo curvae $AZ = \omega$. Si enim amplitudo ponatur ϑ, erit $\partial\vartheta = \frac{\partial\omega}{r} = \frac{\partial\omega(b+2\cos\omega)}{b+\cos\omega}$, hoc est erit

$$\partial\vartheta = \partial\omega + \frac{\partial\omega\cos\omega}{b+\cos\omega} = \partial\omega + \partial\phi,$$

sicque amplitudo ϑ semper aequatur summae angulorum ω et ϕ, quamdiu scilicet angulus ϕ supra axem cadit. Si enim infra axem cadat negative accipi debet. Cum autem amplitudo curvae continuo augeatur quamdiu curva AZ versus eandem partem est concava. Postquam autem coepit in partem contrariam vergere, quod evenit, ubi punctum flexus contrarii datur (jam notavimus tale punctum occurrere ubi $b + 2\cos\omega = 0$, seu, ubi $\cos\omega = -\frac{b}{2}$) tum, cum sit $z = b + \cos\omega$, fiet $z = \frac{1}{2}b$ ita ut punctum flexus contrarii semper incidat in distantiam $CZ = \frac{1}{2}b$; unde colligimus, curvam ab initio A, ubi $Z = b + 1$ concavitatem axi obvertere donec fiat distantia $z = \frac{1}{2}b$, et quamdiu distantia minor fuerit quam $\frac{1}{2}b$, concavitatem in partem contrariam vergi, id quod evenire nequit, nisi fuerit $b < 2$, quia $b - 1$ minima distantia curvae a centro C, quamobrem si fuerit $b > 2$ tota curva nusquam habebit punctum flexus contrarii.

§. 9. Cum autem nostrae curvae algebraicae fieri nequeant, nisi haec formula $\frac{b}{\sqrt{bb-1}}$ aequetur numero rationali, quem ponamus n, hinc vicissim colligitur $b = \frac{n}{\sqrt{nn-1}}$. Tum igitur erit angulus ACZ

$$= \Phi = \omega - 2n\,\mathrm{A\,tag}\, t\sqrt{\frac{b-1}{b+1}},$$

ubi est $t = \mathrm{tag}\,\frac{1}{2}\,\omega$. Hic igitur erit:

$$\frac{b-1}{b+1} = \frac{n-\sqrt{nn-1}}{n+\sqrt{nn-1}} = \frac{1}{(n+\sqrt{nn-1})^2}$$

sicque erit $t\sqrt{\frac{b-1}{b+1}} = \frac{t}{n+\sqrt{nn-1}}$. Quia igitur necessario sumi debet $n > 1$ manifestum est istam tangentem $t\sqrt{\frac{b-1}{b+1}}$ semper minorem esse quam t. Ponamus ergo brevitatis gratia $t\sqrt{\frac{b-1}{b+1}} = u$, et vocemus angulum cujus tangens est $u = \theta$, habebimus hanc formulam $\Phi = \omega - 2n\theta$, unde deducitur sequens

Constructio geometrica curvarum quaesitarum.

§. 10. Monstrabimus igitur, quomodo pro quovis circuli puncto z punctum ei respondens Z in qualibet curva quaesita definiri queat. Sumto nimirum pro n numero quocunque rationali unitate majore, capiatur $b = \frac{n}{\sqrt{nn-1}} = cb$; tum vero ex arcu $az = \omega$ habebitur $t = \mathrm{tag}\,\frac{1}{2}\,\omega$, hincque etiam innotescet

$$u = t\sqrt{\frac{b-1}{b+1}} = \frac{t}{(n+\sqrt{nn-1})^2}.$$

Nunc abscindatur in circulo arcus cujus tangens est u qui ponatur $=\theta$ et quia n est numerus rationalis geometrice assignabitur $= 2n\theta$, quo facto construatur angulus ACZ aequalis differentiae angulorum ω et $2n\theta$, ut scilicet fiat $\Phi = \omega - 2n\theta$ quo facto sumatur distantia $CZ = b + \cos\omega = bp$ hocque modo pro singulis circuli punctis z determinabuntur puncta correspondentia Z curvae quaesitae.

§. 11. Hinc patet, quando arcus $az = \omega$ evanescit, tum punctum Z incidere in ipsum punctum A existente $CA = ba$. At vero sumto arcu $az = 180^\circ = \pi$, quia tum fit $t = \mathrm{tag}\,\frac{1}{2}\,\pi = \infty$, erit etiam $u = \infty$, unde $\theta = 90^\circ$. Pro hoc ergo casu fiet angulus $\Phi = 180^\circ - 2n \cdot 90^\circ = \pi(1-n)$. Quare cum semper sit $n > 1$, angulus Φ ad alteram axis partem cadet, eritque hic angulus $= \pi(n-1)$. Distantia vero puncti respondentis a centro C erit $b-1$, quae est minima distantia ad quam nostra curva versus centrum accedere potest. Sufficiet autem hoc modo tractum curvae tantum a distantia maxima $b+1$, usque ad minimam $b-1$ descripsisse propterea quod ultra hos terminos curva utrinque aequaliter porrigitur, unde intelligitur, tam distantiam maximam, quam minimam fore curvae diametros. Denique etiam ultro patet, longitudinem curvae a distantia ad sequentem minimam semiperipheriae circuli propositi aequari. Et quia angulus inter maximam et minimam distantiam qui est $(n-1)\pi$ cum peripheria circuli est commensurabilis sequitur numerum diametrorum semper esse debere finitum.

§. 12. Hinc etiam intelligitur quomodo aequationem inter coordinatas $CP = x$ et $PZ = y$ erui oporteat. Cum enim sit $\tan \Phi = \frac{y}{x}$ et $\tan \frac{1}{2}\Phi = \sqrt{\frac{z-x}{z+x}}$, cui aequari debet $\tan(\frac{1}{2}\omega - n\theta)$. Quia vero posuimus $\tan \frac{1}{2}\omega = t$, erit $\cos\omega = \frac{1-tt}{1+tt}$, unde ob $z = b + \frac{1-tt}{1+tt}$ elicitur $tt = \frac{b+1-z}{z-b+1}$ hincque $uu = \frac{b-1}{b+1}tt = \frac{bb-1-(b-1)z}{(b+1)z-bb+1}$, sicque t et ω per functiones ipsius z, ideoque etiam $\tan n\theta$ per talem functionem exprimetur, unde etiam tangens anguli $\frac{1}{2}\omega - n\theta$ per functionem solius z definietur. Hinc sumtis quadratis formula $\frac{z-x}{z+x}$ aequatur functioni rationali ipsius z, quae aequatio denique ob $z = \sqrt{xx+yy}$ sumendis quadratis ad aequationem rationalem inter x et y reducitur, quae autem plerumque ad plurimas dimensiones assurgit, siquidem pro casu simplicissimo quo $n = 2$ ad sextum ordinem ascendit.

Descriptio curvae simplicissimae quo $n = 2$.

§. 13. Hic ergo ob $n = 2$ erit $b = \frac{2}{\sqrt{3}} = \sec 30^\circ$ ideoque proxime $b = 1,1547$. Maxima igitur curvae distantia a centro C, Fig. 4.

seu quasi apsis summa erit $CA = b + 1 = 2,1547$ ad quam curva est normalis, ibique radius osculi erit $r = \frac{b+1}{b+2} = 0,6830$. Minima distantia erit $b - 1 = 0,1547$ quae a maxima distabit angulo -180°, ideoque in axem AC continuatum cadet, quae sit CI, ubi curva iterum ad axem erit normalis. At vero radius osculi in I erit $\frac{b-1}{b-2} = -0,1830$. Longitudo autem curvae ab abside summa A ad imam I protensae aequabitur semiperipheriae circuli radio 1 descripti.

§. 14. Pro aliis curvae punctis memorabilibus definiendis sumto arcu $AZ = \omega$ erit distantia $CZ = b + \cos\omega$. Pro angulo autem $ACZ = \Phi$ habebimus $\tan\frac{1}{2}\Phi = \tan(\frac{1}{2}\omega - 2\theta)$, ubi posito $\tan\frac{1}{2}\omega = t$ erit $\tan\theta = u = t\sqrt{\frac{b-1}{b+1}} = 0,2679\,t$, et vicissim $t = u\sqrt{\frac{b+1}{b-1}} = 3,7321\,.\,u$. Cum igitur sit $\tan\theta = u$ erit $\tan 2\theta = \frac{2u}{1-uu}$, unde fit $\tan(\frac{1}{2}\omega - 2\theta) = \frac{t(1-uu)-2u}{1-uu+2tu} = \tan\frac{1}{2}\Phi$.

§. 15. Sumamus nunc arcum $AE = 90^\circ = \frac{1}{2}\pi$ eritque distantia $CE = b$ et angulus $\psi = 90^\circ - \omega = 0$ unde patet rectam CE curvam E tangere, ibique radium osculi fore $= 1$. Pro angulo ACE investigando habemus $t = 1$ et $u = 0,2679 = \tan\theta$. Erit ergo angulus $\theta = 15^\circ, 0'$, ideoque $\frac{1}{2}\Phi = 15^\circ, 0'$, hocque modo erit angulus $ACE = 30^\circ$.

§. 16. Hinc igitur curva ad axem appropinquabit eumque mox secabit in F, ubi ergo, cum fiat $\Phi = 0$ erit $t(1-uu) = 2u$ sive $3,7321\,(1-uu) = 2$, unde reperitur $uu = 0,4641$, hincque $t = 2,7321$. Erit ergo $\frac{1}{2}\omega = 69^\circ, 54'$, ideoque $\omega = 139^\circ, 48'$. Unde patet curvam hic ad axem sub angulo $49^\circ, 48'$, esse inclinatam, distantiam vero fore $CF = b - \sin(49^\circ, 48') = 0,3909$. Radius osculi hoc loco erit $= -1,0483$. Hic ergo curva jam in contrariam partem est inflexa ideoque punctum flexus contrarii praecessit punctum F.

§. 17. Ad hoc ergo punctum, quod sit in G inveniendum jam supra notavimus id incidere ubi distantia $CG = \frac{1}{2}b = 0{,}5773$, ita ut $\cos\omega = -\frac{1}{2}b$ ideoque $\omega = 125^\circ, 16'$. Quare hoc loco curva ad rectam CG inclinatur sub angulo $35^\circ, 16'$. Quia porro est $\frac{1}{2}\omega = 62^\circ, 38'$, erit $t = 1, 9319$, hincque porro $u = 0, 5176$, quae est tangens anguli θ qui consequenter erit $27^\circ, 22'$ ergo $\frac{1}{2}\Phi = 7^\circ, 54'$, consequenter angulus $FCG = 15^\circ, 48'$. Ex his autem principalibus curvae punctis tractus curvae facile satis exacte describi poterit, unde cum recta AI simul curvae sit diameter tota curva habet hanc figuram.

Supplementum.

§. 18. Solutio sequentis problematis non parum elegantis omnes curvas methodo praecedente inventas multo facilius et commodius largietur.

Problema.

Invenire curvam EZ ad punctum fixum C relatam, cujus quilibet arcus EZ ad angulum EZC ubique eandem teneat rationem. Fig. 5.

Solutio.

§. 19. Hic igitur statim patet, arcum curvae EZ, quia angulo EZC est proportionalis aequalem fore arcui circulari eundem angulum metientis, ideoque si hae curvae fuerint algebraicae eas scopo nostro esse satisfacturas. Ad eas inveniendas ponamus angulum $ECZ = \Phi$ et distantiam $CZ = z$ ut habeamus pro situ proximo $ZS = z\partial\Phi$ et $zS = \partial z$. Ponamus nunc angulum $EZC = \omega$, arcum vero $EZ = a\omega$ et quia omnes curvae similes ad idem punctum C relatae aeque satisfaciunt sumere licebit $a = 1$, ut sit arcus $EZ = \omega$, ejusque ergo elementum $Zz = \partial\omega$ et nunc triangulum ZzS statim praebet has duas aequationes:

$$\partial z = \partial\omega . \cos\omega \quad \text{et} \quad z\partial\Phi = \partial\omega . \sin\omega.$$

§. 20. Prior harum aequationum integrata statim dat $z = b + \sin\omega$, unde ex altera fit $\partial\Phi = \frac{\partial\omega \sin\omega}{b + \sin\omega}$. Hinc statim manifestum est, in puncto E, ubi arcus EZ evanescit fore etiam angulum $\omega = 0$, ideoque distantiam CE $= b$, et hanc rectam CE fore curvae tangentem in ipso initio E.

§. 21. Pro elemento ergo angulari $\partial\Phi$ habemus

$$\partial\Phi = \partial\omega - \frac{b\,\partial\omega}{b + \sin\omega}, \text{ ideoque } \Phi = \omega - \int \frac{b\,\partial\omega}{b + \sin\omega},$$

ad quam formulam integrandam ponamus $\tan\frac{1}{2}\omega = t$ unde fit

$$\sin\omega = \frac{2t}{1 + tt} \text{ et } \partial\omega = \frac{2\,\partial t}{1 + tt},$$

unde oritur formula $\frac{b\,\partial\omega}{b + \sin\omega} = \frac{2b\,\partial t}{b(1 + tt) + 2t}$. Ponamus $\frac{1}{b} = \cos\beta$ ut oriatur $\frac{b\,\partial\omega}{b + \sin\omega} = \frac{2\,\partial t}{1 + tt + 2t\cos\beta}$, cujus formulae integrale semper exprimet arcum circuli, si modo fuerit $b > 1$ et $\frac{1}{b}$ per cosinum cujuspiam anguli referri queat. Constat autem hujus formulae integrale fore $= \frac{2}{\sin\beta}\,\mathrm{A}\tan\frac{t\sin\beta}{1 + t\cos\beta}$, ita ut jam nacti simus hanc aequationem: $\Phi = \omega - \frac{2}{\sin\beta}\,\mathrm{A}\tan\frac{t\sin\beta}{1 + t\cos\beta}$; unde patet, quoties $\sin\beta$ fuerit numerus rationalis, istum angulum semper geometrice assignari posse, ideoque curvam nostram fore algebraicam, et quia angulum β infinitis modis accipere licet, simul reperiri innumerabiles curvas algebraicas scopo nostro satisfacientes, quippe quarum omnes arcus per arcus circulares mensurantur. Evidens autem est has curvas cum iis quas ante invenimus perfecte convenire, quia hic tantum aliud principium est assumtum in E.

§. 22. Quoniam igitur $\sin\beta$ debet esse numerus rationalis, ponamus $\frac{1}{\sin\beta} = n$, ita ut n sit numerus quicunque unitate major sive integer sive fractus, ac posito br. gratia:

$$\mathrm{A}\tan\frac{t\sin\beta}{1 + t\cos\beta} = \theta \text{ erit } \Phi = \omega - 2n\theta,$$

qui ergo angulus in principio, ubi $\omega = 0$, etiam evanescit. Erit igitur $\frac{1}{2}\Phi = \frac{1}{2}\omega - n\theta$, ac positis coordinatis orthogonalibus $CP = x$ et $PZ = y$ erit $\tan\Phi = \frac{y}{x}$ et $\tan\frac{1}{2}\Phi = \frac{y}{z+x} = \sqrt{\frac{z-x}{z+x}}$. Cum porro sit $z = b + \sin\omega = b + \frac{2t}{1+tt}$, patet etiam t aequari functioni ipsius z, hincque etiam $\tan\theta$, ita ut hinc pro quovis casu aequatio inter coordinatas orthogonales x et y erui queat.

$$\partial . \mathfrak{S} . \omega = \partial . \omega \left(\frac{e^{\omega} + e^{-\omega}}{2}\right) = \partial \omega . \mathfrak{C} . \omega ,$$
$$\partial . \mathfrak{C} . \omega = \partial . \omega \left(\frac{e^{\omega} - e^{-\omega}}{2}\right) = \partial \omega . \mathfrak{S} . \omega ,$$

hincque vicissim erit

$$\int \partial \omega \, \mathfrak{C} . \omega = \mathfrak{S} . \omega ,$$
$$\int \partial \omega \, \mathfrak{S} . \omega = \mathfrak{C} . \omega .$$

Eodem modo, cum fit

$$\mathfrak{S} . n\omega = \frac{e^{n\omega} - e^{-n\omega}}{2} ,$$
$$\mathfrak{C} . n\omega = \frac{e^{n\omega} + e^{-n\omega}}{2} ,$$

erit generalius

$$\partial . \mathfrak{S} . n\omega = n\partial\omega . \mathfrak{C} . n\omega ,$$
$$\partial . \mathfrak{C} . n\omega = n\partial\omega . \mathfrak{S} . n\omega ,$$

et vicissim

$$\int \partial\omega \, \mathfrak{C} . n\omega = \frac{1}{n} \mathfrak{S} . n\omega ,$$
$$\int \partial\omega \, \mathfrak{S} . n\omega = \frac{1}{n} \mathfrak{C} . n\omega ,$$

tum vero quoque erit

$$\partial . \frac{\mathfrak{S} . n\omega}{\mathfrak{C} . n\omega} = n\partial\omega \frac{[(\mathfrak{C} . n\omega)^2 - (\mathfrak{S} . n\omega)^2]}{(\mathfrak{C} . n\omega)^2}$$

hoc est

$$\partial \cdot \mathfrak{T} \cdot n\omega = \frac{n\partial\omega}{(\mathfrak{C} \cdot n\omega)^2};$$

eodemque modoe rperitur

$$\partial \cdot \frac{\mathfrak{C} \cdot n\omega}{\mathfrak{S} \cdot n\omega} = n\partial\omega \frac{[(\mathfrak{S} \cdot n\omega)^2 - (\mathfrak{C} \cdot n\omega)^2]}{(\mathfrak{S} \cdot n\omega)^2}$$

sive

$$\partial \cdot \frac{\mathfrak{C} \cdot n\omega}{\mathfrak{S} \cdot n\omega} = \frac{-n\partial\omega}{(\mathfrak{S} \cdot n\omega)^2},$$

unde vicissim concluditur fore

$$\int \frac{\partial\omega}{(\mathfrak{C} \cdot n\omega)^2} = \frac{1}{n} \cdot \frac{\mathfrak{S} \cdot n\omega}{\mathfrak{C} \cdot n\omega}$$

$$\int \frac{\partial\omega}{(\mathfrak{S} \cdot n\omega)^2} = \frac{1}{n} \cdot \frac{\mathfrak{C} \cdot n\omega}{\mathfrak{S} \cdot n\omega}$$

§. 11. Ex formulis §. 5[ti]. porro facile derivantur sequentes:

$$\mathfrak{S} \cdot a = \frac{e^a - e^{-a}}{2}; \quad \mathfrak{C} \cdot a = \frac{e^a + e^{-a}}{2};$$

$$\mathfrak{S} \cdot b = \frac{e^b - e^{-b}}{2}; \quad \mathfrak{C} \cdot b = \frac{e^b + e^{-b}}{2},$$

unde deducuntur sequentes:

$$2 \ \mathfrak{S} \cdot a \times \mathfrak{C} \cdot b = \frac{e^{a+b} - e^{b-a} + e^{a-b} - e^{-a-b}}{2},$$

$$2 \ \mathfrak{C} \cdot a \times \mathfrak{S} \cdot b = \frac{e^{a+b} + e^{b-a} - e^{a-b} - e^{-a-b}}{2},$$

$$2 \ \mathfrak{C} \cdot a \times \mathfrak{C} \cdot b = \frac{e^{a+b} + e^{b-a} + e^{a-b} + e^{-a-b}}{2},$$

$$2 \ \mathfrak{S} \cdot a \times \mathfrak{S} \cdot b = \frac{e^{a+b} - e^{b-a} - e^{a-b} - e^{-a-b}}{2},$$

sive réstitutis loco potestatibus ipsius e Sinibus et Cosinibus hyperbolicis :

$$2 \cdot \mathfrak{S} \cdot a \cdot \mathfrak{C} \cdot b = \mathfrak{S} \cdot (a+b) + \mathfrak{S} \, (a-b)$$

$$2 \cdot \mathfrak{C} \cdot a \cdot \mathfrak{S} \cdot b = \mathfrak{S} \cdot (a+b) - \mathfrak{S} \, (a-b)$$

$$2 \ \mathfrak{C} \cdot a \cdot \mathfrak{C} \cdot b = \mathfrak{C} \cdot (a+b) + \mathfrak{C} \cdot (a-b)$$

$$2 \ \mathfrak{S} \cdot a \cdot \mathfrak{S} \cdot b = \mathfrak{C} \cdot (a+b) - \mathfrak{C} \cdot (a-b).$$

§. 12. Hinc porro deducuntur sequentes expressiones :

$$\mathfrak{S} \cdot (a+b) = \mathfrak{S} \cdot a \cdot \mathfrak{C} \cdot b + \mathfrak{C} \cdot a \cdot \mathfrak{S} \cdot b,$$

$$\mathfrak{S} \cdot (a-b) = \mathfrak{S} \cdot a \cdot \mathfrak{C} \cdot b - \mathfrak{C} \cdot a \cdot \mathfrak{S} \cdot b,$$

$$\mathfrak{C}.(a+b) = \mathfrak{C}.a.\mathfrak{C}.b + \mathfrak{S}.a.\mathfrak{S}.b,$$
$$\mathfrak{C}.(a-b) = \mathfrak{C}.a.\mathfrak{C}.b - \mathfrak{S}.a.\mathfrak{S}.b.$$

§. 13. Eaedem expressiones §. 11. inventae praebent has:

$$\mathfrak{S}.a + \mathfrak{S}.b = 2\,\mathfrak{S}.\tfrac{a+b}{2}.\mathfrak{C}.\tfrac{a-b}{2},$$
$$\mathfrak{S}.a - \mathfrak{S}.b = 2\,\mathfrak{C}.\tfrac{a+b}{2}.\mathfrak{S}.\tfrac{a-b}{2},$$
$$\mathfrak{C}.a + \mathfrak{C}.b = 2\,\mathfrak{C}.\tfrac{a+b}{2}.\mathfrak{C}.\tfrac{a-b}{2},$$
$$\mathfrak{C}.a - \mathfrak{C}.b = 2\,\mathfrak{S}.\tfrac{a+b}{2}.\mathfrak{S}.\tfrac{a-b}{2}.$$
$$\frac{\mathfrak{S}.a+\mathfrak{S}.b}{\mathfrak{C}.a+\mathfrak{C}.b} = \mathfrak{T}.\frac{a+b}{2},$$
$$\frac{\mathfrak{S}.a+\mathfrak{S}.b}{\mathfrak{C}.a-\mathfrak{C}.b} = \mathfrak{Cot}.\frac{a-b}{2},$$
$$\frac{\mathfrak{S}.a-\mathfrak{S}.b}{\mathfrak{C}.a+\mathfrak{C}.b} = \mathfrak{T}.\frac{a-b}{2},$$
$$\frac{\mathfrak{S}.a-\mathfrak{S}.b}{\mathfrak{C}.a-\mathfrak{C}.b} = \mathfrak{Cot}.\frac{a+b}{2},$$
$$\frac{\mathfrak{S}.a+\mathfrak{S}.b}{\mathfrak{C}.a+\mathfrak{C}.b} = \frac{\mathfrak{C}.a-\mathfrak{C}.b}{\mathfrak{S}.a-\mathfrak{S}.b},$$
$$\frac{\mathfrak{S}.a+\mathfrak{S}.b}{\mathfrak{C}.a-\mathfrak{C}.b} = \frac{\mathfrak{C}.a+\mathfrak{C}.b}{\mathfrak{S}.a-\mathfrak{S}.b}.$$

§. 14. Ex formulis autem §. 12. inventis colligitur fore

$$\mathfrak{T}.(a+b) = \frac{\mathfrak{T}.a+\mathfrak{T}.b}{1+\mathfrak{T}.a.\mathfrak{T}.b},$$
$$\mathfrak{T}.(a-b) = \frac{\mathfrak{T}.a-\mathfrak{T}.b}{1-\mathfrak{T}.a.\mathfrak{T}.b},$$

§. 15. Supra §. 10. jam observavimus esse

$$\mathfrak{C}.n\omega = \tfrac{1}{2}e^{n\omega} + \tfrac{1}{2}e^{-n\omega},$$
$$\mathfrak{S}.n\omega = \tfrac{1}{2}e^{n\omega} - \tfrac{1}{2}e^{-n\omega},$$

unde, quoniam

$$e^{n\omega} = (e^{\omega})^n,$$
$$e^{-n\omega} = (e^{-\omega})^n,$$

prodibunt sequentes expressiones:

$$\mathfrak{C}\,.\,n\omega = \tfrac{1}{2}(\mathfrak{C}\,.\,\omega + \mathfrak{S}\,.\,\omega)^n + \tfrac{1}{2}(\mathfrak{C}\,.\,\omega - \mathfrak{S}\,.\,\omega)^n,$$
$$\mathfrak{S}\,.\,n\omega = \tfrac{1}{2}(\mathfrak{C}\,.\,\omega + \mathfrak{S}\,.\,\omega)^n - \tfrac{1}{2}(\mathfrak{C}\,.\,\omega - \mathfrak{S}\,.\,\omega)^n,$$

ex quibus porro sequitur fore

$$(\mathfrak{C}\,.\,\omega + \mathfrak{S}\,.\,\omega)^n = \mathfrak{C}\,.\,n\omega + \mathfrak{S}\,.\,n\omega$$
$$(\mathfrak{C}\,.\,\omega - \mathfrak{S}\,.\,\omega)^n = \mathfrak{C}\,.\,n\omega - \mathfrak{S}\,.\,n\omega$$

§. 16. Quod si igitur ponatur $\mathfrak{S}\,.\,\omega = x$ et $\mathfrak{C}\,.\,\omega = y$, erit

$$\mathfrak{C}\,.\,n\omega = \tfrac{1}{2}(y + x)^n + \tfrac{1}{2}(y - x)^n,$$
$$\mathfrak{S}\,.\,n\omega = \tfrac{1}{2}(y + x)^n - \tfrac{1}{2}(y - x)^n.$$

Hinc autem Sinus et Cosinus hyperbolici multiplorum ipsius ω sequentes oriuntur:

$$\begin{array}{ll}
\mathfrak{C}\,.\,0\omega = 1 & \\
\mathfrak{C}\,.\,1\omega = y & \text{ubi notandum esse} \\
\mathfrak{C}\,.\,2\omega = yy + xx & xx = yy - 1 \\
\mathfrak{C}\,.\,3\omega = y^3 + 3xxy & \\
\mathfrak{C}\,.\,4\omega = y^4 + 6yyxx + x^4 & \\
\mathfrak{C}\,.\,5\omega = y^5 + 10y^3xx + 5yx^4 & \\
\text{etc.} \qquad\qquad \text{etc.} &
\end{array}$$

$$\begin{array}{l}
\mathfrak{S}\,.\,0\omega = 0 \\
\mathfrak{S}\,.\,1\omega = x \\
\mathfrak{S}\,.\,2\omega = 2yx \\
\mathfrak{S}\,.\,3\omega = 3yyx + x^3 \\
\mathfrak{S}\,.\,4\omega = 4y^3x + 4yx^3 \\
\mathfrak{S}\,.\,5\omega = 5y^4x + 10y^2x^3 + x^5.\ \text{etc. etc.}
\end{array}$$

§. 17. *Eulerus* olim invenit hanc fractionem continuam

$$\frac{e^{\frac{1}{n}} + e^{-\frac{1}{n}}}{e^{\frac{1}{n}} - e^{-\frac{1}{n}}} = n + \cfrac{1}{3n + \cfrac{1}{5n + \cfrac{1}{7n + \cfrac{1}{9n + \text{etc.}}}}}$$

Hinc si loco $\frac{1}{n}$ scribatur ω, erit $n=\frac{1}{\omega}$, ideoque

$$\frac{e^{\omega}+e^{-\omega}}{e^{\omega}-e^{-\omega}}=\frac{1}{\omega}+\cfrac{1}{\frac{3}{\omega}+\cfrac{1}{\frac{5}{\omega}+\cfrac{1}{\frac{7}{\omega}+\cfrac{1}{\frac{9}{\omega}+\text{etc.}}}}}$$

sive $$\frac{\mathfrak{C}.\omega}{\mathfrak{S}.\omega}=\frac{1}{\omega}+\cfrac{\omega}{3+\cfrac{\omega}{5+\cfrac{\omega}{7+\cfrac{\omega}{9+\text{etc.}}}}}$$

hincque invertendo

$$\frac{\mathfrak{S}.\omega}{\mathfrak{C}.\omega}=\mathfrak{T}.\omega=\cfrac{1}{\frac{1}{\omega}+\cfrac{\omega}{3+\cfrac{\omega}{5+\cfrac{\omega}{7+\cfrac{\omega}{9+\text{etc.}}}}}}$$

sive $$\mathfrak{T}.\omega=\cfrac{1}{\frac{1}{\omega}+\cfrac{1}{\frac{3}{\omega}+\cfrac{1}{\frac{5}{\omega}+\cfrac{1}{\frac{7}{\omega}+\text{etc.}}}}}$$

sive etiam

$$\mathfrak{T}.\omega=\cfrac{\omega}{1+\cfrac{\omega^2}{3+\cfrac{\omega^2}{5+\cfrac{\omega^2}{7+\text{etc.}}}}}$$

§. 18. Si fuerit $\mathfrak{T}.\omega=\frac{2fg}{ff+gg}$, erit $\mathfrak{S}.\omega=\frac{2fg}{ff-gg}$ et $\mathfrak{C}.\omega=\frac{ff+gg}{ff-gg}$, hinc $\mathfrak{C}.\omega+\mathfrak{S}.\omega=\frac{f+g}{f-g}$ et $\mathfrak{C}.\omega-\mathfrak{S}.\omega=\frac{f-g}{f+g}$, unde ex §. 15 colligitur

$$\mathfrak{C} \,.\, n\omega = \frac{(f+g)^{2n} + (f-g)^{2n}}{2\,(ff-gg)^n},$$

$$\mathfrak{S} \,.\, n\omega = \frac{(f+g)^{2n} - (f-g)^{2n}}{2\,(ff-gg)^n},$$

existente secundum §. 9

$$\omega = \log. \frac{f+g}{f-g}.$$

III.

SUMMATIO DUARUM SERIERUM.

Conventui exhibita die 13. Aug 1817.

§. 1. In dissertatione, cui titulus est: *De serie maxime memorabili, qua potestas binomialis quaecunque exprimi potest*[1], illustris quondam Eulerus in seriem inquisiverat potestatem $(1+x)^n$ exhibentem, quae scilicet abrumperetur pro exponente n quocunque integro tam positivo quam negativo. Invenerat nimirum memoratae dissertationis auctor, posito $zz = \frac{xx}{1+x}$ fore

$$(1+x)^n = \begin{cases} 1 + \frac{n(n-1)}{1.2} z^2 + \frac{(n+1)\ldots(n-2)}{1\ldots4} z^4 + \frac{(n+2)\ldots(n-3)}{1\ldots.6} z^6 \text{ etc.} \\ nx + \frac{(n+1)n(n-1)}{1.2.3} xz^2 + \frac{(n+2)\ldots\ldots(n-2)}{1\ldots.5} xz^4 \text{ etc.} \end{cases}$$

sive $(1+x)^n = s + t\frac{x}{z}$, existente

$$s = 1 + \frac{n(n-1)}{1.2} z^2 + \frac{(n+1)\ldots.(n-2)}{1\ldots4} z^4 + \frac{(n+2)\ldots(n-3)}{1\ldots.6} z^6 + \text{etc.}$$

$$t = \frac{n}{1} z + \frac{(n+1)n(n-1)}{1.2.3} z^3 + \frac{(n+2)\ldots..(n-2)}{1\ldots.5} z^5 + \text{etc.}$$

§. 2. Harum porro serierum s et t summam, utramque seorsim, investigare docuit Eulerus, eamque ita invenit expressam:

$$s = \frac{(1+x)^n + (1+x)^{1-n}}{2+x}; \text{ (2)}$$

$$t = \frac{(1+x)^{\frac{1}{2}+n} - (1+x)^{\frac{1}{2}-n}}{2+x}.$$

(1) V. *Mémoires de l'Acad. Impér. des Sciences de S.t. Pétersbourg, Tome IV. pag.* 75.

(2) *Mém. T. IV. pag.* 87. Loco quidem citato exponens postremi membri numeratoris legitur $-n$; verum hoc errori typographico tribuendum est.

Haec summatio summo nostro Geometrae tanti momenti visa est, ut eam adeo tribus variis modis instituerit, quorum bini priores ex consideratione aequationum differentialium primi et secundi gradus, per evolutionem potestatis binomialis genitarum, erant deducti, de quibus autem non tam facile perspicitur, quomodo cum seriebus illis cohaereant. Cum igitur in methodum incidissem hanc summationem immediate ex sola progressionis lege, in utraque serie conspicua, derivandi, eam heic breviter exponere eo minus dubito, quod insuper ansam praebuit ad inveniendum integrale completum aequationis differentialis ad difficiliores et rarius occurrentes referendae.

§. 3. Methodus autem a me adhibita eo nititur fundamento, ut, quoniam in seriebus, quarum summatio proponitur, lex progressionis est simplex et manifesta, tam ex serie s quam ex serie t ope differentiationis duae aliae deriventur duplici modo ad identitatem revocatae. Ita ex priore serie:

$$s = 1 + \frac{n(n-1)}{1.2} z^2 + \frac{(n+1)\ldots(n-2)}{1\ldots4} z^4 + \frac{(n+2)\ldots(n-3)}{1\ldots6} z^6 + \text{etc.}$$

facile deducuntur binae sequentes:

$$\text{I. } \frac{\partial s}{\partial z} = \frac{n(n-1)}{1} z + \frac{(n+1)\ldots(n-2)}{1.2.3} z^3 + \frac{(n+2)\ldots(n-3)}{1\ldots5} z^5 + \text{etc.}$$

$$\text{II. } \frac{\partial . s z^{2n}}{2 z^{2n-1} \partial z} = n + \frac{(n+1) n (n-1)}{1.2} z^2 + \frac{(n+2)\ldots(n-2)}{1\ldots4} z^4 + \text{etc.}$$

Ex altera autem serie:

$$t = nz + \frac{(n+1)n(n-1)}{1.2.3} z^3 + \frac{(n+2)\ldots\ldots(n-2)}{1\ldots\ldots5} z^5 + \text{etc.}$$

binae sequentes derivantur:

$$\text{III. } \frac{\partial t}{\partial z} = n + \frac{(n+1)n(n-1)}{1.2} z^2 + \frac{(n+2)\ldots(n-2)}{1\ldots4} z^4 + \text{etc.}$$

$$\text{IV. } -\frac{z^{2n} \partial . t z^{1-2n}}{2 \partial z} = \frac{n(n-1)}{1} z + \frac{(n+1)\ldots(n-2)}{1.2.3} z^3 + \frac{(n+2)\ldots(n-3)}{1\ldots5} z^5 + \text{etc.}$$

§. 4. Quod si jam has quatuor novas series inter se comparemus, statim perspicimus primam cum quarta et tertiam cum secunda penitus convenire. Habebimus igitur has duas aequationes:

$$\frac{\partial s}{\partial z} = - \frac{z^{2n}\partial \,.\, tz^{1-2n}}{2\partial z};$$

$$\frac{\partial t}{\partial z} = \frac{\partial \,.\, sz^{2n}}{2z^{2n-1}\partial z};$$

quae, facta evolutione, abeunt in sequentes:

$$2\partial s = (2n - 1)t\partial z - z\partial t;$$

$$2\partial t = 2ns\partial z + z\partial s;$$

non diversae ab illis, quas Eulerus ex evolutione potestatis $(1 + x)^n$ secundum conditiones problematis sibi propositi, instituta derivavit. Quomodo autem hae aequationes cum seriebus summandis cohaereant nunc cuique in oculos incurrit.

§. 5. Quo nunc ex his aequationibus valores quaesitos s et t per integrationem investigemus (quod ab Eulero in prima ejus solutione ope multiplicatoris idonei factum est), statuamus $S = tv$, et nostrae binae aequationes induent has formas:

$$2t\partial v + 2v\partial t = (2n - 1)t\partial z - z\partial t$$

$$2\partial t = zt\partial v + zv\partial t + 2ntv\partial z$$

ex quarum utraque deducitur

$$\frac{\partial t}{t} = \frac{(2n-1)\partial z - 2\partial v}{2v + z};$$

$$\frac{\partial t}{t} = \frac{2nv\partial z + z\partial v}{2 - zv};$$

unde sublatis denominatoribus, nanciscimur hanc aequationem:

$$\partial z[(2n - 1)(2 - zv) - 2nv(2v + z)] = (zz + 4)\partial v$$

cujus, utpote ad genus Riccatianarum referendae, resolutio vix sperare liceret, nisi integralia particularia assignare valeremus.

§. 6. Tales autem valores particulares facile obtinebimus, si consideremus duos casus $n = \infty$ et $n = 0$. Pro priore casu nostra aequatio differentialis fiet

$$\partial z[2n(2 - zv) - 2nv(2v + z)] = 0$$

quae, facta reductione, abit in

$$1 - zv - vv = 0.$$

Ex hac igitur aequatione relatio inter z et v definietur, quae, si etiam alteri casui, quo $n = 0$, satisfaceret, revera foret integrale particulare aequationis nostrae differentialis propositae. Cum igitur, posito $n = 0$, aequatio illa evadat

$$\partial z(zv - 2) = \partial v(zz + 4)$$

si hic loco z substituamus valorem ex aequatione $1 - zv - vv = 0$ petitum $z = \frac{1 - vv}{v}$, ob $\partial z = -\frac{\partial v(1 + vv)}{vv}$, tum vero ob $zz + 4 = \frac{(1 + vv)^2}{vv}$, nec non $zv - 2 = -(1 + vv)$, prodit aequatio

$$\frac{\partial v(1 + vv)^2}{vv} = \frac{\partial v(1 + vv)^2}{vv}$$

quae cum sit identica, certum est signum, aequationem $1 - zv - vv = 0$ revera continere integrale particulare nostrae aequationis differentialis §. 5. exhibitae.

§. 7. Ante autem quam integrationem hujus aequationis suscipiamus, meminisse oportet quemadmodum ex integralibus particularibus integralia completa formari queant. Hunc in finem statuamus esse P et Q valores satisfacientes pro s et t, atque evidens est etiam valores $s = \mathrm{MP}$ et $t = \mathrm{MQ}$ fore satisfacturos. Simili modo, si p et q fuerint alii valores satisfacientes pro s et t, tum etiam eorum multipla $s = mp$ et $t = mq$ satisfacient. Quin etiam valores ex his compositi pariter satisfaciant necesse est, ita ut quoque simus habituri valores

$$s = \mathrm{MP} + mp;$$
$$t = \mathrm{MQ} + mq;$$

qui igitur, ob binas constantes arbitrarias M et m, pro integrali completo sunt habendi.

§. 8. His praemissis statuamus, commodioris calculi gratia, $z = 2y$, atque ex aequatione $1 - 2yv - vv = 0$ pro v nascuntur duo valores:

$$v = -y + \sqrt{1 + yy};$$
$$u = -y - \sqrt{1 + yy};$$

quem utrumque seorsim tractabimus. Primo igitur sit

$$v = -y + \sqrt{1+yy}$$

cujus differentiale

$$\partial v = \frac{\partial y(y - \sqrt{1+yy})}{\sqrt{1+yy}}$$

si in priori expressione, supra §. 5. pro $\frac{\partial t}{t}$ inventa, substituatur, fiet

$$\frac{\partial t}{t} = \frac{2n\partial y}{\sqrt{1+yy}} - \frac{y\partial y}{1+yy}.$$

Ex valore autem pro ∂v modo tradito sequitur fore

$$\frac{\partial y}{\sqrt{1+yy}} = \frac{\partial v}{y - \sqrt{1+yy}} = -\frac{\partial v}{v},$$

ita ut habeamus

$$\frac{\partial t}{t} = -\frac{2n\partial v}{v} - \frac{y\partial y}{1+yy},$$

unde sumtis integralibus emergit

$$lt = -2nlv - l\sqrt{1+yy} + lM.$$

Erit igitur si ad numeros resurgamus

$$t = \frac{Mv^{-2n}}{\sqrt{1+yy}} \text{ et}$$

$$s = tv = \frac{Mv^{1-2n}}{\sqrt{1+yy}}$$

§. 9. Simili nunc modo etiam tractanda est altera radix u aequationis $1 - 2yv - vv = 0$. Calculo autem supersedere possumus, scribendo tantum u loco v et m loco M, quo facto erit

$$t = \frac{mu^{-2n}}{\sqrt{1+yy}};$$

$$s = \frac{mu^{1-2n}}{\sqrt{1+yy}}.$$

Cum autem sit $uv = -1$, ideoque $u = -v^{-1}$ valores isti transmutabuntur in sequentes:

$$t = \frac{mv^{+2n}}{\sqrt{1+yy}};$$

$$s = -\frac{mv^{2n-1}}{\sqrt{1+yy}}.$$

Evidens enim est potestatem parem v^{2n} signo positivo fore affectam, potestatem vero imparem v^{2n-1} signo negativo.

§. 10. Quod si nunc ex his binis integralibus particularibus integrale completum secundum principium §. 7. expositum componamus, habebimus

$$s = \frac{Mv^{-2n} - mv^{+2n}}{\sqrt{1+yy}};$$
$$t = \frac{Mv^{-2n} + mv^{+2n}}{\sqrt{1+yy}};$$

quae formulae si accommodentur ad casum $z = 0$, pro quo fit $y = 0$ et $v = 1$, tum vero $s = 1$ et $t = 0$, sequitur hinc fieri debere $M - m = 1$ et $M + m = 0$, unde concluditur fore $M = \frac{1}{2}$ et $m = -\frac{1}{2}$, ideoque

$$s = \frac{v^{1-2n} + v^{2n-1}}{2\sqrt{1+yy}};$$
$$t = \frac{v^{-2n} - v^{+2n}}{2\sqrt{1+yy}};$$

ita ut summae serierum propositarum jam penitus sint determinatae.

§. 11. Tantum superest ut loco v et y quantitatem x restituamus. Hunc in finem ex valore $y = \frac{1}{2}z$ (§. 8.) quaeramus primo denominatorem $2\sqrt{1+yy} = \sqrt{4+zz}$, qui ergo, ob $zz = \frac{xx}{1+x}$ (§. 1.), erit

$$2\sqrt{1+yy} = \frac{2+x}{\sqrt{1+x}}.$$

Tum vero ob $v = -y + \sqrt{1+yy}$ (§. 8.) erit

$$v = -\tfrac{1}{2}z + \tfrac{1}{2}\sqrt{4+zz},$$
$$v^2 = -vz + 1 = \tfrac{1}{2}z^2 - \tfrac{1}{2}z\sqrt{4+zz} + 1$$

ita ut, ob $x = \frac{1}{2}z^2 - \frac{1}{2}z\sqrt{4+zz}$, sit $v^2 = 1 + x$ et $v = \sqrt{1+x}$, quibus valoribus substitutis summae quaesitae serierum propositarum ita se praebent expressae:

$$s = \frac{(1+x)^n + (1+x)^{1-n}}{2+x};$$

$$t = \frac{(1+x)^{\frac{1}{2}-n} - (1+x)^{\frac{1}{2}+n}}{2+x}.$$

§. 12. Haec quidem postrema summatio seriei t ab Euleriana ratione signorum discrepare videtur. Interim tamen, quod et nostra rite sibi constet, statim inde patebit, quod fiat

$$s + t\frac{x}{z} = (1+x)^n,$$

ut in fine §i. 1. postulabatur. Ex conditione enim $zz = \frac{xx}{1+x}$ sequitur fore tam $\frac{x}{z} = +(1+x)^{\frac{1}{2}}$ quam $\frac{x}{z} = -(1+x)^{\frac{1}{2}}$. Ex posteriore vero valore nanciscimur

$$t\frac{x}{z} = \frac{(1+x)^{1+n} - (1+x)^{1-n}}{2},$$

quod, cum valore

$$s = \frac{(1+x)^n + (1+x)^{1-n}}{2+x}$$

conjunctum, dat

$$s + t\frac{x}{z} = \frac{(1+x)^n + (1+x)^{1+n}}{2+x} = (1+x)^n$$

uti requiritur.

§. 13. Ceterum cum sit ex §. 1.

$$(1+x)^n = s + t\frac{x}{z} = s - t(1+x)^{\frac{1}{2}},$$

posito, ut modo fecimus, $\frac{x}{z} = -(1+x)^{\frac{1}{2}}$ (§. 12.) quoque habebimus

$$(1+x)^{-n} = s + t(1+x)^{-\frac{1}{2}},$$

a qua potestate si prior $(1+x)^{+n}$ subtrahatur, remanebit

$$(1+x)^{-n} - (1+x)^{+n} = t(1+x)^{-\frac{1}{2}} + t(1+x)^{+\frac{1}{2}}$$

unde statim sequitur fore

$$t = \frac{(1+x)^{-n} - (1+x)^{+n}}{\frac{1}{(1+x)^{\frac{1}{2}}} + (1+x)^{\frac{1}{2}}}$$

sive ductis numeratore ac denominatore in $(1+x)^{\frac{1}{2}}$, erit

$$t = \frac{(1+x)^{\frac{1}{2}-n} - (1+x)^{\frac{1}{2}+n}}{2+x}$$

unde porro, ob $s = (1+x)^{-n} - t\,(1+x)^{-\frac{1}{2}}$, nanciscimur

$$s = (1+x)^{-n} - \frac{(1+x)^{-n} + (1+x)^{+n}}{(1+x)+1}$$

quibus denique ad eundem denominatorem revocatis emergit

$$s = \frac{(1+x)^{n} + (1+x)^{1-n}}{2+x}$$

prorsus ut supra. Haecque solutio utique est omnium facillima, ita ut non opus fuisset ad aequationes differentiales confugere, nisi methodus ipsa has aequationes tractandi, et exemplum magistri, suasissent rem etiam hac via aggredi.

IV.

DE VALORE FORMULARUM

$$\int x^n \partial x e^{-\alpha x} \sin \beta x \text{ et } \int x^n \partial x e^{-\alpha x} \cos \beta x$$

SI INTEGRALIA AB $x=0$ AD $x=1$ USQUE EXTENDANTUR.

Conventui exhibita die 22. Aug. 1810.

§. 1. Haec ambo integralia jam pridem a summo quondam Geometra, nostro L. Eulero, et quidem pro iisdem integrationis terminis, determinata fuere: reperiuntur ea in Tomo IV, posthumo, Institutionum Calculi integralis, pag. 342. Pro iis investigandis hujus integrationis auctor Imaginariis usus est, ideo inquit, quod methodi minus insolitae calculos non parum molestos requirunt. Interim tamen cum ipse non ita pridem similes formulas tractassem, eorumque integralia, intra praescriptos terminos contenta, investigassem [1], postmodum methodum in hoc negotio adhibitam cum omni successu, et sine calculis admodum prolixis, etiam ad formulas binas in titulo expositas applicare mihi licuit. Placuerat quidem mihi mira simplicitas solutionis Eulerianae, et persuasissimum mihi habeo eam nemini lectorum displicuisse; nihilo tamen minus et meam heic exponere minime dubito. Neminem enim poenitebit problema qualecunque jam solutum iterum aliter solvisse, cum id variis modis praestitisse scientiae intersit. En igitur meam solutionem ejusdem problematis sine subsidio imaginariorum peractam.

(1) Conf. Dissertatio, cui titulus est: *Demonstratio theorematum quorundam calculum integralem spectantium.* Tomo IV. *Mémoires de l'Académie etc.* inserta.

§. 2. Consideretur haec formula

$$V = x^n e^{-\alpha x} (A \sin \beta x + B \cos \beta x)$$

quae scilicet ita est comparata ut evanescat tam casu $x = 0$ quam posito $x = \infty$. De priore valore id per se est manifestum; quod alterum attinet, ponatur $x = \infty + 1$ eritque

$$x^n = \infty^n + \frac{n}{1} \infty^{n-1} + \frac{n(n-1)}{1.2} \infty^{n-2} + \text{etc.}$$

$$e^{-\alpha\infty} = 1 - \frac{\alpha\infty}{1} + \frac{\alpha^2\infty^2}{1.2} - \frac{\alpha^3\infty^3}{1.2.3} \cdots \frac{\alpha^\infty . \infty^\infty}{1 \ldots \infty}$$

ergo $x^n . e^{-\alpha x} = \frac{(\infty+1)^n \times 1 \ldots \ldots \infty}{\alpha^\infty . \infty^\infty}$ hoc est $V = 0$ posito $x = \infty$. Hinc tamen excipiendus est casus quo $n = 0$, quem igitur infra §. 7. seorsim tractemus.

§. 3. Differentiemus jam formulam illam V, atque habebimus

$$\partial V = \left\{ \begin{array}{l} n x^{n-1} \partial x e^{-\alpha x} (A \sin \beta x + B \cos \beta x) \\ -(A\alpha + B\beta) x^n e^{-\alpha x} \partial x \sin \beta x \\ -(B\alpha - A\beta) x^n e^{-\alpha x} \partial x \cos \beta x \end{array} \right\}$$

Jam quoniam quantitates A et B sunt arbitrariae, sumamus $A = \alpha$ et $B = \beta$ ut sit $B\alpha - A\beta = 0$ atque habebimus

$$\partial V = \left\{ \begin{array}{l} n x^{n-1} \partial x e^{-\alpha x} (\alpha \sin \beta x - \beta \cos \beta x) \\ -(\alpha\alpha + \beta\beta) x^n e^{-\alpha x} \partial x \sin \beta x \end{array} \right\}$$

cujus integrale igitur ab $x = 0$ usque ad $x = \infty$ sumtum debet esse $V = 0$ (§. 2.), unde sequitur fore

$$\left. \begin{array}{l} n \int x^{n-1} \partial x e^{-\alpha x} (\alpha \sin \beta x + \beta \cos \beta x) \\ -(\alpha\alpha + \beta\beta) \int x^n e^{-\alpha x} \partial x \sin \beta x \end{array} \right\} = 0$$

si scilicet integralia intra praescriptos terminos sumantur.

§. 4. Discerpatur jam prius membrum in duas partes, ponendo

$$\int x^{n-1} \partial x e^{-\alpha x} \sin \beta x = M$$
$$\int x^{n-1} \partial x e^{-\alpha x} \cos \beta x = N$$

atque aequatio nostra erit

$$n\alpha\,\mathrm{M} + n\beta\mathrm{N} - (\alpha\alpha + \beta\beta)\int x^n\,\partial x e^{-\alpha x} \sin\beta x = 0$$

Ponatur autem brevitatis gratia $\alpha\alpha + \beta\beta = ff$ et $\frac{\beta}{\alpha} = \text{tag.}\,\gamma$, ita ut sit $\alpha = f\cos\gamma$ et $\beta = f\sin\gamma$, eritque

$$\int x^n\,\partial x\,e^{-\alpha x}\sin\beta x = \frac{n\cos\gamma}{f}.\,\mathrm{M} + \frac{n\sin\gamma}{f}.\,\mathrm{N}.$$

§. 5. Nunc autem pro investiganda altera formula simili modo statuamus $\mathrm{A} = \beta$ et $\mathrm{B} = -\alpha$, ita ut fiat $\mathrm{A}\alpha + \mathrm{B}\beta = 0$, tum enim habebimus:

$$\partial\,\mathrm{V} = \left\{ \begin{array}{l} n x^{n-1}\,\partial x e^{-\alpha x}(\beta\sin\beta x - \alpha\cos\beta x) \\ + (\alpha\alpha + \beta\beta)\,x^n e^{-\alpha x}\,\partial x\cos\beta x \end{array} \right\}$$

unde posito pro terminis integrationis stabilitis $\mathrm{V} = 0$, habebimus

$$n\beta\mathrm{M} - n\alpha\mathrm{N} + ff\int x^n\,\partial x e^{-\alpha x}\cos\beta x = 0$$

unde sequitur fore

$$\int x^n\partial x e^{-\alpha x}\cos\beta x = \frac{n\cos\gamma}{f}.\,\mathrm{N} - \frac{n\sin\gamma}{f}.\,\mathrm{M}.$$

§. 6. Quod si jam consideremus sequentes valores integrales ab $x = 0$ usque ad $x = \infty$ extensos:

$$\int\partial x e^{-\alpha x}\sin\beta x = \mathfrak{M}$$
$$\int x^1\partial x e^{-\alpha x}\sin\beta x = \mathfrak{M}'$$
$$\int x^2\partial x e^{-\alpha x}\sin\beta x = \mathfrak{M}''$$
$$\cdots\cdots\cdots$$
$$\cdots\cdots\cdots$$
$$\int x^n\partial x e^{-\alpha x}\sin\beta x = \mathfrak{M}^{(n)}$$

tum vero

$$\int\partial x e^{-\alpha x}\cos\beta x = \mathfrak{N}$$
$$\int x^1\partial x e^{-\alpha x}\cos\beta x = \mathfrak{N}'$$
$$\int x^2\partial x e^{-\alpha x}\cos\beta x = \mathfrak{N}''.$$
$$\cdots\cdots\cdots$$
$$\cdots\cdots\cdots$$
$$\int x^n\partial x e^{-\alpha x}\cos\beta x = \mathfrak{N}^{(n)}$$

modo vidimus inter quantitates istas $\mathfrak{M}$ et $\mathfrak{N}$ semper hujusmodi relationem locum habere, ut sit

$$\mathfrak{M}' = \frac{1 \cdot \cos\gamma}{f}\mathfrak{M} + \frac{1 \cdot \sin\gamma}{f}\mathfrak{N}$$
$$\mathfrak{M}'' = \frac{2 \cdot \cos\gamma}{f}\mathfrak{M}' + \frac{2 \cdot \sin\gamma}{f}\mathfrak{N}'$$
$$\mathfrak{M}''' = \frac{3 \cdot \cos\gamma}{f}\mathfrak{M}'' + \frac{3 \cdot \sin\gamma}{f}\mathfrak{N}''$$
$$\cdots\cdots\cdots\cdots$$
$$\cdots\cdots\cdots\cdots$$
$$\mathfrak{M}^{(n)} = \frac{n \cdot \cos\gamma}{f}\mathfrak{M}^{(n-1)} + \frac{n \cdot \sin\gamma}{f}\mathfrak{N}^{(n-1)}$$

similique modo

$$\mathfrak{N}' = \frac{1 \cdot \cos\gamma}{f}\mathfrak{N} - \frac{1 \cdot \sin\gamma}{f}\mathfrak{M}$$
$$\mathfrak{N}'' = \frac{2 \cdot \cos\gamma}{f}\mathfrak{N}' - \frac{2 \cdot \sin\gamma}{f}\mathfrak{M}'$$
$$\mathfrak{N}''' = \frac{3 \cdot \cos\gamma}{f}\mathfrak{N}'' - \frac{3 \cdot \sin\gamma}{f}\mathfrak{M}''$$
$$\cdots\cdots\cdots\cdots$$
$$\cdots\cdots\cdots\cdots$$
$$\mathfrak{N}^{(n)} = \frac{n \cdot \cos\gamma}{f}\mathfrak{N}^{(n-1)} - \frac{n \cdot \sin\gamma}{f}\mathfrak{M}^{(n-1)}.$$

§. 7. Incipiamus nunc a formulis, de quibus supra §. 2. diximus eas seorsim esse evolvendas, scilicet:

$$\left.\begin{array}{l}\mathfrak{M} = \int \partial x e^{-\alpha x} \sin\beta x \\ \mathfrak{N} = \int \partial x e^{-\alpha x} \cos\beta x\end{array}\right\} (\S.\ 6.).$$

Pro inveniendis his valoribus in usum vocemus Lemma notissimum: $\int P\partial Q = PQ - \int Q\partial P$, ponendo pro formula $\mathfrak{M}$, $P = \sin\beta x$, et pro $\mathfrak{N}$, $P = \cos\beta x$, pro utraque vero $\partial Q = \partial x e^{-\alpha x}$, hocque facto inveniemus

$$\mathfrak{M} = -\frac{1}{\alpha} e^{-\alpha x} \sin\beta x + \frac{\beta}{\alpha}\mathfrak{N}$$
$$\mathfrak{N} = \frac{1}{\alpha} - \frac{1}{\alpha} e^{-\alpha x} \cos\beta x - \frac{\beta}{\alpha}\mathfrak{M},$$

addita scilicet in postrema constante $\frac{1}{\alpha}$, quoniam integrale sumitur a termino $x = 0$. Pro altero jam integrationis termino $x = \infty$ erit

$$\mathfrak{M} = \frac{\beta}{\alpha}\mathfrak{N}$$

$$\mathfrak{N} = \frac{1}{\alpha} - \frac{\beta}{\alpha}\mathfrak{M} = \frac{1}{\alpha} - \frac{\beta\beta}{\alpha\alpha}\mathfrak{N}$$

unde fit $\mathfrak{N} = \frac{\alpha}{\alpha\alpha+\beta\beta}$ et $\mathfrak{M} = \frac{\beta}{\alpha\alpha+\beta\beta}$.

Supra autem (§. 4.) jam posueramus

$$\alpha\alpha+\beta\beta = ff, \quad \alpha = f\cos\gamma, \quad \beta = f\sin\gamma$$

quibus valoribus jam hic introductis erit ab $x = 0$ ad $x = \infty$

$$\mathfrak{M} = \int \partial x e^{-\alpha x}\sin\beta x = \frac{\sin\gamma}{f}$$

$$\mathfrak{N} = \int \partial x e^{-\alpha x}\cos\beta x = \frac{\cos\gamma}{f}$$

§. 8. His autem jam valoribus hoc modo inventis facile reperientur sequentes ope relationum supra §. 6. traditarum:

$$\mathfrak{M}' = \frac{2\sin\gamma\,\cos\gamma}{ff} = \frac{\sin 2\gamma}{ff}$$

$$\mathfrak{N}' = \frac{\cos\gamma^2 - \sin\gamma^2}{ff} = \frac{\cos 2\gamma}{ff}.$$

§. 9. Quod si hoc modo ulterius progrediamur pro formulis $\mathfrak{M}''$ et $\mathfrak{N}''$ reperiemus

$$\mathfrak{M}'' = \frac{2(\sin 2\gamma\cos\gamma + \cos 2\gamma\sin\gamma)}{f^3} = \frac{2\sin 3\gamma}{f^3}$$

$$\mathfrak{N}'' = \frac{2(\cos 2\gamma\cos\gamma - \sin 2\gamma\sin\gamma)}{f^3} = \frac{2\cos 3\gamma}{f^3}$$

tum vero pro formulis $\mathfrak{M}'''$ et $\mathfrak{N}'''$ nanciscimur

$$\mathfrak{M}''' = \frac{2.3\,(\sin 3\gamma\cos\gamma + \cos 3\gamma\sin\gamma)}{f^4} = \frac{2.3\,\sin 4\gamma}{f^4}$$

$$\mathfrak{N}''' = \frac{2.3\,(\cos 3\gamma\cos\gamma - \sin 3\gamma\sin\gamma)}{f^4} = \frac{2.3.\cos 4\gamma}{f^4}.$$

Pro $\mathfrak{M}^{\text{IV}}$ et $\mathfrak{N}^{\text{IV}}$ fiet

$$\mathfrak{M}^{\text{IV}} = \frac{2.3.4\,\sin 5\gamma}{f^5}$$

$$\mathfrak{N}^{\text{IV}} = \frac{2.3.4\,\cos 5\gamma}{f^5}$$

unde jam concludere licet fore in genere

$$\mathfrak{M}^{(n)} = \frac{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \ldots\ldots n \cdot \sin(n+1)\gamma}{f^{n+1}}$$

$$\mathfrak{N}^{(n)} = \frac{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \ldots\ldots n \cdot \cos(n+1)\gamma}{f^{n+1}}.$$

§. 10. Quod si nunc brevitatis gratia ponamus $1.2.3.4....n = \Delta$, tum vero, loco $\mathfrak{M}^{(n)}$ et $\mathfrak{N}^{(n)}$ scribamus formulas integrales his litteris respondentes, nanciscimur

$$\int x^n e^{-\alpha x} \partial x \sin \beta x \left[\begin{smallmatrix} ab\, x = 0 \\ ad\, x = \infty \end{smallmatrix}\right] = \frac{\Delta \sin(n+1)\gamma}{f^{n+1}}$$

$$\int x^n e^{-\alpha x} \partial x \cos \beta x \left[\begin{smallmatrix} ab\, x = 0 \\ ad\, x = \infty \end{smallmatrix}\right] = \frac{\Delta \cos(n+1)\gamma}{f^{n+1}}$$

quae sunt integralia nostra quaesita, quae cum illis ab Eulero loco citato inventis perfecte consentiunt.

§. 11. Quod si nunc porro istam solutionem generalem ad illas formulas applicare velimus, quae Eulerum quondam ad hanc integrationem perduxerant, et ad quas pervenerat insignis ille Geometra in solvendo problemate de linea curva, in qua radius osculi ubique reciproce proportionalis sit arcui, ponendum erit $x = \Phi$, $n = -\frac{1}{2}$, $\alpha = 0$, $\beta = 1$, quo facto fit $f = 1$, et tag $\gamma = \infty$, ideoque $\gamma = \frac{\pi}{2}$, $\sin(n+1)\gamma = \frac{1}{\sqrt{2}}$ et $\cos(n+1)\gamma = \frac{1}{\sqrt{2}}$. Quod valorem Δ attinet notandum est eum in genere esse terminum indici n respondentem in serie

$$1\,;\quad 1 \cdot 2\,;\quad 1 \cdot 2 \cdot 3\,;\quad 1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4\,;\quad \text{etc.}$$

Cum igitur hic terminus sit

$$\Delta = \frac{1^{1-n} \cdot 2^n}{1+n} \cdot \frac{2^{1-n} \cdot 3^n}{2+n} \cdot \frac{3^{1-n} \cdot 4}{3+n} \cdot \frac{4^{1-n} \cdot 5}{4+n} \cdot \text{etc.}$$

(Conf. Euleri Inst. Calc. Diff. p. 834.) posito $n = -\frac{1}{2}$ erit

$$\Delta = \frac{1^{\frac{3}{2}} \cdot 2^{-\frac{1}{2}}}{\frac{1}{2}} \cdot \frac{2^{\frac{3}{2}} \cdot 3^{-\frac{1}{2}}}{\frac{3}{2}} \cdot \frac{3^{\frac{3}{2}} \cdot 4^{-\frac{1}{2}}}{\frac{5}{2}} \cdot \frac{4^{\frac{3}{2}} \cdot 5^{-\frac{1}{2}}}{\frac{7}{2}} \cdot \text{etc.}$$

Sumantur jam utrinque quadrata fitque

$$\Delta^2 = \frac{2 \cdot 2}{1 \cdot 3} \cdot \frac{4 \cdot 4}{3 \cdot 5} \cdot \frac{6 \cdot 6}{5 \cdot 7} \cdot \frac{8 \cdot 8}{7 \cdot 9} \cdot \text{etc.} = \frac{\pi}{2}$$

quippe quod est productum Wallisii notissimum, unde porro fit

$\Delta = \sqrt{\frac{\pi}{2}}$. His omnibus rite substitutis erit

$$\int \frac{\partial\Phi \sin\Phi}{\sqrt{\Phi}} \left[{}^{a\Phi = 0}_{a\partial\Phi = \infty}\right] = \frac{\sqrt{\pi}}{2}$$

$$\int \frac{\partial\Phi \cos\Phi}{\sqrt{\Phi}} \left[{}^{a\Phi = 0}_{a\partial\Phi = \infty}\right] = \frac{\sqrt{\pi}}{2}$$

(Valor horum Integralium apud Eulerum loco citato reperitur $= \sqrt{\frac{\pi}{2}}$ ob errorem in calculum irreptum).

§. 12. Statuatur porro $n = +\frac{1}{2}$, $x = \Phi$, $\alpha = 1$, $\beta = 1$, ita ut $f = \sqrt{2}$, tag. $\gamma = 1$, hinc $\gamma = \frac{\pi}{4}$, $\sin(n+1)\gamma = \sin\frac{3\pi}{8}$, $\cos(n+1)\gamma = \cos\frac{3\pi}{8}$, $\Delta = \sqrt{\pi}$ unde porro fit

$$\int \partial\Phi \sqrt{\Phi} e^{-\Phi} \sin\Phi \left[{}^{a\Phi = 0}_{a\partial\Phi = \infty}\right] = \sqrt{\frac{\pi}{2}} \cdot \frac{\sin\frac{3\pi}{8}}{\sqrt[4]{2}}$$

$$\int \partial\Phi \sqrt{\Phi} e^{-\Phi} \cos\Phi \left[{}^{a\Phi = 0}_{a\partial\Phi = \infty}\right] = \sqrt{\frac{\pi}{2}} \cdot \frac{\cos\frac{3\pi}{8}}{\sqrt[4]{2}}$$

ubi notandum est fore

$$\sin\frac{3\pi}{8} = \sin 67\tfrac{1}{2}^\circ = \cos 22\tfrac{1}{2}^\circ = \frac{\sqrt{\sqrt{2}+1}}{\sqrt{2}\sqrt[4]{2}}$$

$$\cos\frac{3\pi}{8} = \cos 67\tfrac{1}{2}^\circ = \sin 22\tfrac{1}{2}^\circ = \frac{\sqrt{\sqrt{2}-1}}{\sqrt{2}\sqrt[4]{2}}$$

ita ut habeamus

$$\int \partial\Phi \sqrt{\Phi} e^{-\Phi} \sin\Phi = \frac{\sqrt{\pi}(\sqrt{2}+1)}{2\sqrt{2}}$$

$$\int \partial\Phi \sqrt{\Phi} e^{-\Phi} \sin\Phi = \frac{\sqrt{\pi}(\sqrt{2}-1)}{2\sqrt{2}}.$$

§. 13. Sit $x = \Phi$, $n = -\frac{1}{2}$, $\alpha = 1$, $\beta = 1$, erit $f = \sqrt{2}$, tag $\gamma = 1$, $\gamma = \frac{\pi}{4}$ et $\Delta = \sqrt{\frac{\pi}{2}}$, hinc

$$\int \frac{\partial\Phi\, e^{-\Phi} \sin\Phi}{\sqrt{\Phi}} \left[{}^{a\Phi = 0}_{a\partial\Phi = \infty}\right] = \frac{\sqrt{\pi}(\sqrt{2}-1)}{2\sqrt{2}}$$

$$\int \frac{\partial\Phi\, e^{-\Phi} \cos\Phi}{\sqrt{\Phi}} \left[{}^{a\Phi = 0}_{a\partial\Phi = \infty}\right] = \frac{\sqrt{\pi}(\sqrt{2}+1)}{2\sqrt{2}}$$

$$\text{ob} \quad \sin(n+1)\gamma = \sin\tfrac{\pi}{8} = \sin 22\tfrac{1}{2}^{\circ} = \frac{\sqrt{\sqrt{2}-1}}{\sqrt{2}\,\sqrt[4]{2}}$$

$$\text{et} \quad \cos(n+1)\gamma = \cos\tfrac{\pi}{8} = \cos 22\tfrac{1}{2}^{\circ} = \frac{\sqrt{\sqrt{2}-1}}{\sqrt{2}\,\sqrt[4]{2}}.$$

§. 14. In dissertatione initio commemorata varia demonstraveram theoremata calculum integralem spectantia, quorum praecipua haec erant:

$$\frac{\int e^{\alpha\phi}\,\Phi\,\partial\phi}{\int e^{-\alpha\phi}\,\Phi\,\partial\phi} = e^{\alpha\pi}$$

$$\frac{\int \Phi\,\partial\phi\,\sin\lambda\phi}{\int \Phi\,\partial\phi\,\cos\lambda\phi} = \operatorname{tag}\tfrac{1}{2}\lambda\pi$$

denotante Φ functionem quamcunque ipsius ϕ et integralibus a $\phi = 0$ ad $\phi = \pi$ extensis. His theorematibus nunc sequens analogum adjicere possumus:

$$\frac{\int \phi^{n}\,\partial\phi\,e^{-\alpha\phi}\,\sin\beta\phi}{\int \phi^{n}\,\partial\phi\,e^{-\alpha\phi}\,\cos\beta\phi} = \operatorname{tag}(n+1)\gamma$$

siquidem integralia capiantur a termino $x = 0$ ad $x = \infty$ usque, denotante γ arcum cujus tangens est $\frac{\beta}{\alpha}$.

V.

EXPOSITIO METHODI CONCINNAE

INVENIENDI CUJUSCUNQUE PROGRESSIONIS TERMINUM TAM GENERALEM QUAM SUMMATORIUM, PER DIFFERENTIAS CONTINUAS.

Conventui exhibita die, 24. Oct. 1821.

§. 1. Elementorum Algebrae triginta abhinc annis a me editorum ([1]) Caput sextum sectionis quartae tractat de Summatione numerorum polygonalium, hoc est de argumento, cui innititur enumeratio globorum tormentariorum in cumulos pyramidales structorum. In illa vero tractatione brevitati et conceptui tyronum magis quam rigori mathematico consulens, inductioni nimis concesseram. Postmodum autem discipulis in Analysi exercitatioribus aliam tradideram methodum magis directam numeros polygonos summandi, haecque methodus ita erat comparata:

Pro numeris trigonalibus.

§. 2. Designemus summam priorum n numerorum trigonalium charactere $\int\frac{n(n+1)}{2}$, ita ut habeamus

$$\int\frac{n(n+1)}{2} = 1 + 3 + 6 + 10 + \ldots + \frac{(n-1)n}{2} + \frac{n(n+1)}{2}$$

atque evidens est sumto $n-1$ loco n hanc expressionem transmutari in

$$\int\frac{(n-1)n}{2} = 1 + 3 + 6 + 10 + \ldots \frac{(n-1)n}{2}.$$

([1]) Leçons d'Algèbre, à l'usage du Corps *Impérial* des Cadets nobles de terre. St. Pétersb. 1791.

Unde si haec postrema progressio aufferatur a priore remanebit

$$\int\frac{n(n+1)}{2}-\int\frac{(n-1)n}{2}=\frac{n(n+1)}{2}.$$

§. 3. Statuatur nunc

$$\int\frac{n(n+1)}{2}=An^3+Bn^2+Cn,\ \text{eritque}$$

$$\int\frac{(n-1)n}{2}=A(n-1)^3+B(n-1)^2+C(n-1)$$

quorum differentia dabit:

$$\int\frac{n(n+1)}{2}-\int\frac{(n-1)n}{2}=\frac{nn+n}{2}=\begin{array}{r}3An^2-3An+A\\+2Bn-B\\+C\end{array}$$

unde concluditur fieri debere

$$A=\tfrac{1}{6},\ B=\tfrac{1}{2},\ C=\tfrac{1}{3}$$

ita ut summa quaesita n numerorum trigonalium primordialium sit

$$\int\frac{n(n+1)}{2}=\tfrac{1}{6}n^3+\tfrac{1}{2}n^2+\tfrac{1}{3}n=\tfrac{1}{6}n(n+1)(n+2)$$

Pro numeris quadratis.

§. 4. Simili prorsus modo, ut supra §. 2. factum est, ponamus

$$\int n^2=1^2+2^2+3^2+\ldots+(n-1)^2+n^2$$

$$\int(n-1)^2=1^2+2^2+3^2+\ldots+(n-1)^2$$

ita ut differentia harum binarum progressionum sit

$$\int n^2-\int(n-1)^2=n^2.$$

Tum vero si statuatur

$$\int n^2=An^3+Bn^2+Cn$$

$$\int(n-1)^2=A(n-1)^3+B(n-1)^2+C(n-1)$$

eadem differentia fiet

$$\int n^2-\int(n-1)^2=n^2=\begin{array}{r}3An^2-3An+A\\+2Bn-B\\+C\end{array}$$

unde facta comparatione intelligitur fieri debere:

$$A = \tfrac{1}{3},\ B = \tfrac{1}{2},\ C = \tfrac{1}{6},$$

ita ut summa quaesita n primorum numerorum quadratorum evadat

$$\int n^2 = \tfrac{1}{3}n^3 + \tfrac{1}{2}n^2 + \tfrac{1}{6}n = \tfrac{1}{6}n(n+1)(2n+1).$$

Pro numeris polygonis m laterum.

§. 5. Ex casibus binis specialibus praemissis jam perspicuum fit si summam $n-1$ primordialium numerorum polygonorum m laterum, quae est

$$S = \int \frac{(m-2)(n-1)^2 - (m-4)(n-1)}{2} = 1 + m + (3m-3)$$
$$\ldots\ldots + \frac{(m-2)(n-1)^2 - (m-4)(n-1)}{2}$$

a summa n primorum, quae est

$$S = \int \frac{(m-2)n^2 - (m-4)n}{2} = 1 + m + (3m-3)$$
$$\ldots\ldots + \frac{(m-2)n^2 - (m-4)n}{2}$$

aufferamus, differentiam fore

$$S - s = \frac{(m-2)n^2 - (m-4)n}{2}.$$

Hinc posita altera summa

$$S = An^3 + Bn^2 + Cn$$

altera vero

$$s = A(n-1)^3 + B(n-1)^2 + C(n-1)$$

habebimus differentiam earum

$$S - s = \frac{(m-2)n^2 - (m-4)n}{2} = \begin{array}{r} 3An^2 - 3An + A \\ + 2Bn - B \\ + C \end{array}$$

unde porro nanciscimur

$$A = \frac{m-2}{6},\ B = \tfrac{1}{2},\ C = -\frac{(m-5)}{6},$$

ita ut summa quaesita sit

$$S = \left(\frac{m-2}{6}\right)n^3 + \tfrac{1}{2}n^2 - \left(\frac{m-5}{6}\right)n.$$

§. 6. Denique auditorum versatissimis in Analysi exponere solebam methodum generalem ab Eulero in *Instit. Calc. diff.* traditam cujuscunque progressionis terminum tam generalem quam summatorium investigandi. Huic methodo tandem, quae omnes solutiones supra exhibitas (§§. 2, 3, 4, 5.) et innumeras alias, tanquam casus maxime speciales, in se complectitur, aliam substitueram, quae ope idonei symbolismi, viaque magis directa ac commoda ad formulas non solum valde simplices sed etiam applicationibus admodum accommodatas perducit. Hanc jam postremam methodum, a nemine adhuc, quantum mihi quidem innotuit, adhibitam neque in lucem prolatam heic breviter exhibere in animum induxi.

METHODUS GENERALIS
cujusque progressionis terminum generalem et summatorium investigandi.

§. 7. Cardo rei hic versatur in eligendo idoneo modo signandi uncias potestatum binomii. Cum autem praeter symbolismum ab Eulero in postremis suis dissertationibus de proprietatibus harum unciarum summo cum fructu in analysin introductum nullum invenissem nostro negotio magis accommodatum, in sequentibus utar charactere $\left(\frac{m}{\lambda}\right)$ ad indicandum coëfficientem termini post primum λ^{mi} in potestate m^{ma} binomii evoluti, ita ut sit

$$\left(\frac{m}{\lambda}\right) = \frac{m}{1} \cdot \frac{m-1}{2} \cdot \frac{m-2}{3} \cdot \ldots \cdot \frac{m-\lambda+1}{\lambda}.$$

§. 8. Quod si hic loco m et λ scribamus $m-1$ et $\lambda-1$, erit

$$\left(\frac{m-1}{\lambda-1}\right) = \frac{m-1}{1} \cdot \frac{m-2}{2} \cdot \frac{m-3}{3} \cdot \ldots \cdot \frac{m-\lambda+1}{\lambda-1},$$

et si utrinque multiplicemus per $\frac{m}{\lambda}$, habebimus

$$\frac{m}{\lambda}\left(\frac{m-1}{\lambda-1}\right) = \frac{m}{1} \cdot \frac{m-1}{2} \cdot \frac{m-2}{3} \cdot \ldots \cdot \frac{m-\lambda+1}{\lambda}$$

unde intelligitur fore

$$\text{I.} \quad \left(\frac{m}{\lambda}\right) = \frac{m}{\lambda}\left(\frac{m-1}{\lambda-1}\right)$$

§. 9. Simili prorsus modo si in expressione illa fundamentali §. 7. exhibita, manente λ invariato, loco m scribatur $m-1$, prodibit

$$\left(\frac{m-1}{\lambda}\right)=\frac{m-1}{1}\cdot\frac{m-2}{2}\cdot\frac{m-3}{3}\cdots\frac{m-\lambda+1}{\lambda-1}\cdot\frac{m-\lambda}{\lambda}.$$

Supra autem §. 8. vidimus esse

$$\left(\frac{m-1}{\lambda-1}\right)=\frac{m-1}{1}\cdot\frac{m-2}{2}\cdot\frac{m-3}{3}\cdots\frac{m-\lambda+1}{\lambda-1}$$

unde nanciscimur hanc relationem:

$$\text{II.}\quad \left(\frac{m-1}{\lambda}\right)=\frac{m-\lambda}{\lambda}\left(\frac{m-1}{\lambda-1}\right),$$

qua a superiore I sublata remanet

$$\text{I}-\text{II}=\left(\frac{m}{\lambda}\right)-\left(\frac{m-1}{\lambda}\right)=\left(\frac{m-1}{\lambda-1}\right).$$

§. 10. Cum autem $\left(\frac{m-1}{\lambda}\right)$ oriatur ex $\left(\frac{m}{\lambda}\right)$, si loco m ponatur $m-1$, quaerendus est valor $f:m$ ita comparatus ut evadat

$$f:m-f:(m-1)=\left(\frac{m-1}{\lambda-1}\right)$$

atque ex praecedentibus evidens est fore $f:m=\left(\frac{m}{\lambda}\right)$. Generalius quidem statui poterit $f:m=\left(\frac{m}{\lambda}\right)+\text{C}$, ubi constans C quovis casu debite erit determinanda. Veluti si, ut nostro casu requiritur, functio debeat evanescere posito $m=0$, erit quoque $\text{C}=0$ et $f:m=\left(\frac{m}{\lambda}\right)$ uti statim posuimus.

§. 11. His praemissis proposita concipiatur progressio quaecunque

$$\text{S}=a+b+c+d+\ldots\ldots z,$$

cujus terminorum numerus sit datus $=n$, existente termino postremo seu generali $=z$ et summatorio $=s$; et quaestio eo redit, ut ope datorum terminorum a, b, c, d etc., una cum numero eorum n, quantitates incognitae z et s determinentur. Hunc in finem sumantur differentiae continuae, sitque series differentiarum

1^{arum}: $a', \; b, \; c', \; d'$, etc.
2^{arum}: $a'', \; b'', \; c'', \; d''$, etc.
3^{arum}: a''', b''', c''', d''', etc.

et ita porro, atque habebimus:

$$\left.\begin{array}{c} a' = b - a \\ b' = c - b \\ c' = d - c \\ \text{etc.} \end{array}\right| \begin{array}{c} a'' = b' - a' \\ b'' = c' - b' \\ c'' = d' - c' \\ \text{etc.} \end{array}\left| \begin{array}{c} a''' = b'' - a'' \\ b''' = c'' - b'' \\ c''' = d'' - c'' \\ \text{etc.} \end{array}\right| \text{ etc.}$$

quibus notatis videndum nunc est quomodo progressionis nostrae propositae

$$s = a + b + c + d + \dots z$$

terminus generalis z et summa s per numeros datos a, b, c, d, etc. una cum n, investigari queant.

Investigatio termini generalis z.

§. 12. Repraesentetur iste terminus generalis sub hac forma:

$$z = af : n + a'f' : n + a''f'' : n + \text{etc. (A).}$$

Tum vero omittatur primus terminus progressionis propositae, et cum reliquorum $b, c, d, \dots z$ numerus sit $n - 1$, erit simili modo:

$$z = bf : (n-1) + b'f' : (n-1) + b''f'' : (n-1) + \text{etc. (B).}$$

Cum autem sit $b = a + a'$, $b' = a' + a''$, $b'' = a'' + a'''$ et ita porro, his valoribus substitutis, si posteriorem seriem (B) a priore (A) subtrahamus, orietur sequens aequatio:

$$0 = \left\{\begin{array}{r} + af : n + a'f' : n + a''f'' : n + a'''f''' : n + \text{etc.} \\ - af : (n-1) - a'f' : (n-1) - a''f'' : (n-1) - a'''f''' : (n-1) - \text{etc.} \\ - a'f : (n-1) - a''f' : (n-1) - a'''f'' : (n-1) - \text{etc.} \end{array}\right\} \text{(C).}$$

§. 13. *Primo* igitur ex hac aequalitate sequitur fieri debere

$$f : n - f : (n-1) = 0,$$

unde intelligitur fore $f : n$ quantitatem constantem. Quoniam autem in progressione proposita, posito $n = 1$, fieri debet $z = a$

32 *

(§. 11), evidens est hanc constantem fore ipsam unitatem, ita ut habeamus

$$f:n = 1 \text{ et } f:(n-1) = 1.$$

§. 14. *Secundo* evanescere debet coëfficiens ipsius a' in aequatione illa (C), unde sequitur fore

$$f':n - f':(n-1) - f:(n-1) = 0.$$

Est vero $f:(n-1) = 1$ (§. 13.), ideoque

$$f':n - f':(n-1) = 1 = \left(\tfrac{m-1}{\lambda-1}\right) \text{ (§. 10.)},$$

unde concluditur fore $\lambda = 1$, ergo $f':n = \left(\tfrac{m}{1}\right)$. Quoniam autem in termini generalis forma ficta §. 12, scil.

$$z = af:n + a'f':n + a''f'':n + \text{etc.}$$

coëfficiens secundi termini $f':n$ evanescere debet sumto $n = 1$, erit $m = n - 1$ et $f':n = \left(\tfrac{m}{1}\right) = \left(\tfrac{n-1}{1}\right)$, ideoque

$$f':(n-1) = \left(\tfrac{n-2}{1}\right).$$

§. 15. *Tertio* evanescere debet coëfficiens ipsius a'' in aequatione illa (C), hoc est fieri debet:

$$f'':n - f'':(n-1) = f':(n-1) = \left(\tfrac{n-2}{1}\right) \text{ (§. 14.)}$$

unde ex §. 10. sequitur fore $m = n - 1$ et $\lambda = 2$. Erit igitur $f''n = \left(\tfrac{n-1}{2}\right)$, hinc

$$f'':(n-1) = \left(\tfrac{n-2}{2}\right).$$

§. 16. *Quarto* in aequatione (C) evanescere quoque debet coëfficiens ipsius a''', unde fluit conditio

$$f''':n - f''':(n-1) = f'':(n-1) = \left(\tfrac{n-2}{2}\right) \text{ (§. 15.)}$$

Ex §. 10. vero sequitur fore $m = n - 1$ et $\lambda = 3$, ac proinde $f''':n = \left(\tfrac{n-1}{3}\right)$.

§. 17. Quod si has operationes ulterius prosequamur, reperiemus simili prorsus modo coëfficientes terminorum a^{IV}, a^{V}, a^{VI}, etc. progressionis (A), qui erunt $f^{\text{IV}} : n = \binom{n-1}{4}$; $f^{\text{V}} : n = \binom{n-1}{5}$ et ita porro. Hinc terminus generalis quaesitus progressionis propositae erit

$$z = a + \binom{n-1}{1} a' + \binom{n-1}{2} a'' + \binom{n-1}{3} a''' + \text{etc.}$$

Investigatio termini summatorii s.

§. 18. Hic rem brevius expedire licebit, quoniam in praecedente articulo jam omnia fusius sunt explicata et ad scopum propositum praeparata. Ponatur, ut supra §. 12. pro z fecimus:

$$s = af : n + a'f' : n + a''f'' : n + \text{etc.},$$

ubi notetur sumto $n = 0$ fore etiam $s = 0$. Rejecto jam in progressione §. 11. proposita termino primo a, reliquorum numerus est $n - 1$, summa vero $s - a$, pro qua ergo habebimus hanc seriem:

$$s - a = bf : (n-1) + b'f' : (n-1) + b''f'' : (n-1) + \text{etc.}$$

Quod si in hac serie loco b, b', b'', etc. valores ante §. 12. dati scribantur eaque a serie s auferatur, remanebit

$$a = \left\{ \begin{array}{r} + af : n + a'f' : n + a''f'' : n + \text{etc.} \\ - af : (n-1) - a'f' : (n-1) - a''f'' : (n-1) - \text{etc.} \\ - a'f : (n-1) - a''f' : (n-1) - \text{etc.} \end{array} \right\}.$$

§. 19. Hinc sequitur *primo* esse debere $f : n - f : (n-1) = 1$, unde $f : n = \binom{n}{1}$ et $f : (n-1) = \binom{n-1}{1}$. Porro sequitur *secundo* fore $f' : n - f' : (n-1) = f : (n-1) = \binom{n-1}{1} = \binom{m-1}{\lambda-1}$ (§. 10.) ergo $m = n$ et $\lambda = 2$, hinc

$$f' : n = \binom{n}{2} \text{ et } f' : (n-1) = \binom{n-1}{2}.$$

Tertio debet esse

$$f'' : n - f'' : (n-1) = f' : (n-1) = \binom{n-1}{2} = \binom{m-1}{\lambda-1},$$

unde $m = n$ et $\lambda = 3$, consequenter

$$f'' : n = \binom{n}{3} \text{ et } f'' : (n-1) = \frac{n-1}{3}.$$

Simili modo invenietur

$$f''' : n = \left(\tfrac{n}{4}\right), \quad f^{\text{IV}} : n = \left(\tfrac{n}{5}\right)$$

et ita porro. Summa igitur nostrae progressionis propositae erit

$$s = \left(\tfrac{n}{1}\right) a + \left(\tfrac{n}{2}\right) a' + \left(\tfrac{n}{3}\right) a'' + \left(\tfrac{n}{4}\right) a''' + \text{etc.}$$

§. 20. Inventas jam has expressiones generales pro termino generali et summatorio datae progressionis operae pretium erit ad aliquot casus speciales applicasse, idque duplici ratione, primo ut veritas earum clarius elucescat, tum vero quo melius intelligitur quantopere eae ad hujusmodi applicationes accommodatae sint.

APPLICATIO

harum formularum ad aliquot casus speciales.

1) *Ad numeros polygonos.*

§. 21. Cum in progressione horum numerorum differentiae secundae debeant esse constantes et aequales numero laterum binario minuto, erit progressio:

$$s = 1 + m + (3m - 3) + (6m - 8) + (10m - 15) + \ldots + z$$

cujus quaeramus terminum generalem z et summatorium s ope formularum generalium supra §. 17. et 19. exhibitarum, sequentem in modum. Cum sit

$a = 1$	$a' = m - 1$	$a'' = m - 2$	$a''' = 0$
$b = m$	$b' = 2m - 3$	$b'' = m - 2$	$b''' = 0$
$c = 3m - 3$	$c' = 3m - 5$	$c'' = m - 2$	etc.
$d = 6m - 8$	$d' = 4m - 7$	etc.	
$e = 10m - 15$	etc.		
etc.			

his valoribus pro a, a', a'', a''' substitutis in expressionibus pro z et s supra inventis nanciscimur:

$$z = 1 + (n - 1)(m - 1) + \frac{(n-1)(n-2)}{2}(m - 2);$$
$$s = n + \frac{n(n-1)}{2}(m - 1) + \frac{n(n-1)(n-2)}{6}(m - 2);$$

quae expressiones, facta evolutione ordinatisque terminis secundum potestates ipsius n, abeunt in:

$$z = \frac{(m-2)n^2 - (m-4)n}{2}$$
$$s = \frac{(m-2)}{6}n^3 + \tfrac{1}{2}n^2 - \left(\frac{m-5}{6}\right)n$$

prorsus uti §. 5. fuerant inventae.

2) *Ad numeros quadratos.*

§. 22. Pro progressione numerorum quadratorum habebimus

$a = 1$	$a' = 3$	$a'' = 2$	$a''' = 0$
$b = 4$	$b' = 5$	$b'' = 2$	$b''' = 0$
$c = 9$	$c' = 7$	$c'' = 2$	etc.
$d = 16$	$d' = 9$	etc.	
$e = 25$	etc.		
etc.			

Hinc terminus generalis erit

$$z = 1 + 3(n - 1) + 2\frac{(n-1)(n-2)}{2} = n^2$$

et summatorius

$$s = n + \frac{3n(n-1)}{2} + \frac{2n(n-1)(n-2)}{6} = \frac{n(n+1)(2n+1)}{6}$$

quemadmodum etiam supra §. 4. erat inventus.

3) *Ad numeros cubicos.*

§. 23. Pro progressione horum numerorum habebimus

$a = 1$	$a' = 7$	$a'' = 12$	$a''' = 6$	$a^{\text{IV}} = 0$
$b = 8$	$b' = 19$	$b'' = 18$	$b''' = 6$	etc.
$c = 27$	$c' = 37$	$c'' = 24$	etc.	
$d = 64$	$d' = 61$	etc.		
$e = 125$	etc.			
etc.				

unde substitutis in formulis generalibus pro z et s inventis valoribus a, a', a'', a''' prodibit terminus generalis

$$z = 1 + 7\binom{n-1}{1} + 12\binom{n-1}{2} + 6\binom{n-1}{3} = n^3$$

et summatorius

$$s = \binom{n}{1} + 7\binom{n}{2} + 12\binom{n}{3} + 6\binom{n}{4} = \frac{n^2(n+1)^2}{4}.$$

4) *Ad numeros biquadratos.*

§. 24. Pro horum numerorum progressione differentiae ita se habent:

$a = 1$	$a' = 15$	$a'' = 50$	$a''' = 60$	$a^{\mathrm{IV}} = 24$	$a^{\mathrm{V}} = 0$
$b = 16$	$b' = 65$	$b'' = 110$	$b''' = 84$	$b^{\mathrm{IV}} = 24$	etc.
$c = 81$	$c' = 175$	$c'' = 194$	$c''' = 108$	etc.	
$d = 256$	$d' = 369$	$d'' = 302$	etc.		
$e = 625$	$e' = 671$	etc.			
$f = 1296$	etc.				
etc.					

quibus valoribus rite substitutis terminus generalis elicitur sequenti modo expressus:

$$z = 1 + 15\binom{n-1}{\gamma} + 50\binom{n-1}{2} + 60\binom{n-1}{3} + 24\binom{n-4}{4} = n^4$$

terminus vero summatorius ita:

$$s = \binom{n}{1} + 15\binom{n}{2} + 50\binom{n}{3} + 60\binom{n}{4} + 24\binom{n}{5},$$

quae expressio reducitur ad hanc formam:

$$s = \frac{6n^5 + 15n^4 + 10n^3 - n}{30},$$

sive per factores ad hanc:

$$s = \frac{n(n+1)(2n+1)(3n^2+3n-1)}{30}.$$

Hinc sequitur si summa n primorum numerorum biquadratorum dividatur per summam n numerorum quadratorum, quotientem ex hac divisione natum fore $\frac{3n^2+3n-1}{5}$.

5) *Ad numeros qui sunt aggregata Trigonalium.*

§. 25. Hic igitur progressio, cujus quaeritur terminus generalis et summatorius, haec est:

$$s = 1 + 4 + 10 + 20 + 35 \ldots\ldots z$$

unde sequitur fore

$a = 1$	$a' = 3$	$a'' = 3$	$a''' = 1$	$a^{\text{IV}} = 0$
$b = 4$	$b' = 6$	$b'' = 4$	$b''' = 1$	etc.
$c = 10$	$c' = 10$	$c'' = 5$	etc.	
$d = 20$	$d' = 15$	etc.		
$e = 35$	etc.			
etc.				

Hinc autem substituendo assequimur

$$z = 1 + 3\left(\frac{n-1}{1}\right) + 3\left(\frac{n-1}{2}\right) + 1\left(\frac{n-1}{3}\right)$$

$$s = 1\left(\frac{n}{1}\right) + 3\left(\frac{n}{2}\right) + 3\left(\frac{n}{3}\right) + 1\left(\frac{n}{4}\right)$$

qui valores, facta evolutione, sequentes induunt formas:

$$z = \frac{n(n+1)(n+2)}{6} = \left[\frac{n+2}{3}\right]$$

$$s = \frac{n(n+1)(n+2)(n+3)}{24} = \left[\frac{n+3}{4}\right].$$

VI.

RESOLUTIO

DUARUM AEQUATIONUM DIFFERENTIALIUM SECUNDI GRADUS.

Conventui exhibita die 24. Febr. 1819.

§. 1. Aequationes differentiales secundi gradus, de quarum resolutione hic disserere constitui, ita se habent:

$$\text{I.}\quad \frac{\partial\partial x}{2g\partial t^2} = -\, auu\frac{\partial x}{\partial s},$$

$$\text{II.}\quad \frac{\partial\partial y}{2g\partial t^2} = -1 - auu\frac{\partial y}{\partial s}.$$

Ad hujusmodi aequationes perducit solutio problematis ballistici, si aëris resistentia ut constans spectetur, denotantibus scilicet x et y coordinatas obliquangulas, s arcum percursum tempore t in curva a projectili descripta, u celeritatem ejus elapso tempore t acquisitam, ∂t elementum temporis, quod constans assumitur et α multiplicatorem constantem pendentem a pondere et diametro globi, a densitate materiae ejus aërisque, ab altitudine celeritati debita, etc. Hic autem animum a phaenomenis motus penitus abstrahendo problema tanquam mere analyticum spectabo et considerationes nonnullas ad quas resolutio illarum aequationum perduxit, breviter exhibebo.

§. 2. Quod ipsam resolutionem attinet, ea sequenti modo commodissime absolvitur. Ad primam aequationem in ∂x ductam addatur secunda ducta in ∂y, prodibitque

$$\text{I.}\,\partial x + \text{II.}\,\partial y = \frac{\partial x\partial\partial x + \partial y\partial\partial y}{2g\partial t^2} = -\,\partial y - \frac{auu\,(\partial x^2 + \partial y^2)}{\partial s}$$

Est vero $\partial x^2 + \partial y^2 = \partial s^2$, $\partial x\partial\partial x + \partial y\partial\partial y = \partial s\partial\partial s$ et $u = \frac{\partial s}{\partial t}$, quibus substitutis fiet

$$\text{III.)}\quad \frac{\partial s\partial\partial s}{2g\partial t^2} = -\partial y - \frac{\alpha\partial s^3}{\partial t^2}.$$

Deinde si a secunda in ∂x ducta aufferatur prima ducta in ∂y, habebimus

$$\text{II.}\ \partial x - \text{I.}\ \partial y = \frac{\partial x\partial\partial y - \partial y\partial\partial x}{2g\partial t^2} = -\partial x.$$

Quodsi nunc in III. ponatur $\alpha = \frac{\beta}{2g}$, ea in hanc abit formam:

$$\text{III.)}\quad \frac{\partial s\partial\partial s + \beta\partial s^3}{2g\partial t^2} = -\partial y$$

atque nunc ex hac postrema aequatione, una cum

$$\text{IV.)}\quad \frac{\partial x\partial\partial y - \partial y\partial\partial x}{2g\partial t^2} = -\partial x$$

solutionem peti oportet.

§. 3. Introducatur hunc in finem inclinatio curvae ad horizontem, quam vocemus Φ, eritque

$$\partial x = \partial s \cos\Phi,\quad \partial y = \partial s \sin\Phi$$

quibus valoribus una cum suis differentialibus, in aequationibus III et IV substitutis, prodibunt hae novae aequationes:

$$\text{V.)}\quad \frac{\partial\partial s + \beta\partial s^2}{2g\partial t^2} = -\sin\Phi,$$

$$\text{VI.)}\quad \frac{\partial s\,\partial\Phi}{2g\partial t^2} = -\cos\Phi.$$

§. 4. Harum aequationum si posterior, in $\sin\Phi$ ducta, aufferatur a priore ducta in $\cos\Phi$, prodibit

$$\text{V.}\ \cos\Phi - \text{VI.}\ \sin\Phi = \frac{\partial\partial s\cos\Phi - \partial s\partial\Phi\sin\Phi + \beta\partial s^2\cos\Phi}{2g\partial t^2} = 0.$$

Dividatur per $\partial s\cos\Phi$ eritque

$$\frac{\partial\partial s}{\partial s} - \frac{\partial\Phi\sin\Phi}{\cos\Phi} + \beta\partial s = 0$$

cujus integrale est

$$l\partial s + l\cos\Phi + \beta s = \text{const.} = \gamma\, l\partial t,$$

quod etiam ita repraesentari potest:

$$l\partial s\cos\Phi - l\partial t = (\gamma - 1)\, l\partial t - \beta s,$$

(ob ∂t constans), sive etiam ita:

$$l\,\frac{\partial s\cos\Phi}{\partial t} = l\,C + l\,e^{-\beta s}$$

ita ut habeamus

$$\frac{\partial s \cos \Phi}{\partial t} = C e^{-\beta s}.$$

§. 5. Ex hac jam aequatione quaeratur ∂t, quo invento erit

$$2 g \partial t^2 = \frac{\partial s^2 \cos \Phi^2}{\delta e^{-2\beta s}}.$$

Ita ex aequatione VI habebimus

$$\frac{\delta \partial \Phi e^{-2\beta s}}{\partial s \cos \Phi^2} + \cos \Phi = 0$$

unde concluditur fore

$$\frac{\partial s e^{2\beta s}}{\delta} = -\frac{\partial \Phi}{\cos \Phi^3}$$

hincque integrando adipiscimur

$$\frac{e^{2\beta s}}{2\beta\delta} = -\int \frac{\partial \Phi}{\cos \Phi^3}$$

sive, postremo membro quoque actu integrato habebimus

$$\frac{e^{2\beta s}}{2\beta\delta} = -\frac{\sin \Phi}{2 \cos \Phi^2} - \tfrac{1}{2} l \operatorname{tg} (45^\circ + \tfrac{1}{2} \Phi) + C.$$

§. 6. Hoc modo resolutionem aequationum propositarum perduximus ad aequationem in qua quantitates variabiles sunt separatae, cujusque ope s per Φ facile innotescit, cum sit

$$s = \frac{1}{2\beta} l 2 \beta \delta F : \Phi + \Delta.$$

Difficile autem foret ipsum angulum Φ per arcum s determinare. Quo hoc praestetur sit $\frac{e^{2\beta s}}{2\beta\delta} = -z$ ita ut $\partial z = \frac{\partial \Phi}{\cos \Phi^3}$ et facile nunc erit pro functione quacunque anguli Φ, veluti pro $\sin \Phi$, seriem invenire secundum potestates ipsius z procedentem, quemadmodum ex solutione sequentis problematis patebit.

Problema.

§. 7. *Si fuerit* $\partial z = \frac{\partial \Phi}{\cos \Phi^3}$ *et ita integretur ut fiat* $\Phi = \zeta$ *sumto* $z = 0$, *invenire seriem secundum potestatem ipsius* y *procedentem quae exprimat valorem* $\sin \Phi$.

Solutio.

Statuamus seriem quaesitam esse

$$\text{I.}\quad \sin\Phi = A + Bz + Cz^2 + Dz^3 + \text{etc.}$$

Sumantur ejus differentialia, primum, secundum, tertium, etc. et in quavis differentiatione loco $\frac{\partial\Phi}{\partial z}$ scribatur $\cos\Phi^3$, quo facto reperientur sequentes series:

$$\text{II.}\quad \cos\Phi^4 = B + 2Cz + 3Dz^2 + 4Ez^3 + \text{etc.}$$

$$\text{III.}\quad -4\sin\Phi\cos\Phi^6 = 2C + 3.2Dz + 4.3Ez^2 + 5.4Fz^3 + \text{etc.}$$

$$\text{IV.}\quad \cos\Phi^8(24 - 28\cos\Phi^2) = 3.2.1\,D + 4.3.2Ez + 5.4.3Fz^2 + \text{etc.}$$

$$\text{V.}\quad \sin\Phi\cos\Phi^{10}(-8.24 + 10.28\cos\Phi^2) = 4.3.2.1E + 5.4.3.2Fz + \text{etc.}$$

etc. etc.

Ponatur nunc in singulis $z = 0$ et quia tum fieri debet $\Phi = \zeta$, fiet:

Ex I. $A = \sin\zeta$

— II. $B = \cos\zeta^4$

— III. $C = -2\sin\zeta\cos\zeta^6$

— IV. $D = \cos\zeta^8(4 - \frac{14}{3}\cos\zeta^2)$

— V. $E = \sin\zeta\cos\zeta^{10}(8 - \frac{35}{3}\cos\zeta^2)$

etc. etc.

Hinc si fuerit $\zeta = 0$, erit $A = 0$, $B = 1$, $C = 0$, $D = -\frac{2}{3}$, $E = 0$, etc.

Problema generalius.

§. 8. *Si fuerit x functio quaecunque ipsius x, quae posito $x = p$ abeat in P atque ponatur $z = X - P$ ita ut z evanescat posito $X = P$, invenire seriem secundum potestates ipsius z procedentem, cujus summa sit functio quaecunque data ipsius x, quam vocemus Φ.*

Solutio.

Statuatur series quaesita

$$\Phi = A + Bz + Cz^2 + Dz^3 + \text{etc.}$$

cujus coëfficientes A, B, C, D, etc. debent esse certae functiones ipsius p. Quod si autem p ut constans spectetur, ob $z = X - P$ erit $\partial z = \partial X$. Jam haec series differentietur, ac dividendo per $\partial z = \partial X$ habebimus

$$\frac{\partial \Phi}{\partial X} = B + 2Cz + 3Dz^2 + 4Ez^3 + \text{etc.} = \Phi'$$

Simili modo procedendo erit

$$\frac{\partial \Phi'}{\partial X} = 2C + 3 \cdot 2Dz + 4 \cdot 3Ez^2 + \text{etc.} = \Phi'',$$

$$\frac{\partial \Phi''}{\partial X} = 3 \cdot 2D + 4 \cdot 3 \cdot 2Ez + 5 \cdot 4 \cdot 3Fz^2 + \text{etc.} = \Phi''',$$

et ita porro. Ponatur nunc $z = 0$, et cum hoc casu fiat $X = P$, abeat Φ in Π; eritque ex serie prima $A = \Pi$. Si porro valores Φ', Φ'', Φ''', posito $x = p$ abeant in Π', Π'', Π''', etc. ex secunda aequatione, posito $z = 0$, fiet

$$B = \Pi' = \frac{\partial \Pi}{\partial P} = \frac{\partial A}{\partial P}.$$

Simili modo erit ex tertia serie:

$$2C = \Pi'' = \frac{\partial \Pi'}{\partial P} = \frac{\partial B}{\partial P}$$

tum vero ex quarta:

$$3 \cdot 2D = \Pi''' = \frac{\partial \Pi''}{\partial P} = 2\frac{\partial C}{\partial P}$$

et ita porro. Hoc igitur modo coëfficientes seriei quaesitae pro Φ sunt determinati; erit enim

$$A = \Pi;\ B = \frac{\partial A}{\partial P};\ C = \frac{\partial B}{2\partial P};\ D = \frac{\partial C}{3\partial P};$$

et ita porro. Hanc solutionem generalem aliquot exemplis illustrabo.

Exemplum 1.

§. 9. Sit $X = x$, ideoque $x = p + z$. Hinc erit

$$A = \Pi,\ B = \frac{\partial A}{\partial P},\ C = \frac{\partial B}{2\partial P},\ D = \frac{\partial C}{3\partial P},\ \text{etc.}$$

Unde si sumatur $\Phi = x^n = (p + z)^n$ erit $\Pi = p^n$, ergo

$$A = p^n,$$

$$B = \frac{n}{1} p^{n-1},$$

$$C = \frac{n(n-1)}{1.2} p^{n-2},$$

$$D = \frac{n(n-1)(n-2)}{1.2.3} p^{n-3},$$

etc. etc.

Hinc autem sequitur fore

$$(p+z)^n = p^n + \frac{n}{1} p^{n-1} z + \frac{n(n-1)}{1.2} p^{n-2} z^2 + \text{etc.}$$

Exemplum 2.

§. 10. Sumatur $\Phi = e^x = e^{p+z}$, erit $\Pi = e^p$. Hinc autem fit

$$A = e^p,\ B = \frac{e^p}{1},\ C = \frac{e^p}{1.2},\ D = \frac{e^p}{1.2.3},\ \text{etc.}$$

consequenter erit

$$e^{p+z} = e^p\left[1 + \frac{z}{1} + \frac{z^2}{1.2} + \frac{z^3}{1.2.3}\ \text{etc.}\right]$$

quod cum notissima summatione, aeque ac praecedens exemplum egregie convenit.

Exemplum 3.

§. 11. Sumatur $\Phi = x = \sqrt[n]{p^n + z}$, positoque $z = 0$ abit Φ in $\Pi = p$, unde fit $A = p$, et $B = 1$; tum autem omnes sequentes C, D, E, etc. prodirent $= 0$, quae solutio veritati non foret consentanea: genuinam obtinebimus, si notemus hic poni $X = x^n$, ita ut $P = p^n$, hinc $\partial P = np^{n-1}\partial p$; tum enim, ob $x^n = p^n + z$, hoc est $X = P + Z$ (§. 8.) erit $\Phi = x = \sqrt[n]{p^n + z}$. Valores autem coëfficientium A, B, C, D, etc. nunc ita reperientur expressi:

$$A = p,$$

$$B = \frac{\partial A}{\partial P} = \frac{1}{np^{n-1}},$$

$$C = \frac{\partial B}{2\partial P} = -\frac{(n-1)}{2nnp^{2n-1}},$$

$$D = \frac{\partial C}{3\partial P} = +\frac{(n-1)(2n-1)}{2.3n^3 p^{3n-1}}.$$

etc. etc. etc.

Erit igitur, ut jam aliunde constat:

$$\sqrt[n]{p^n + z} = p + \frac{z}{np^{n-1}} - \frac{(n-1)z^2}{2n^2 p^{2n-1}} + \frac{(n-1)(2n-1)z^3}{2.3n^3 p^{3n-1}} - \text{etc.}$$

Problema inversum.

§. 12. *Proposita hac serie secundum potestates variabilis z procedente:*

$$A + Bz + Cz^2 + Dz^3 + Ez^4 + \text{etc.}$$

ubi A est functio quaecunque ipsius p, sequentes autem litterae ex praecedentibus ita definiuntur ut sit

$$B = \frac{\partial A}{\partial P},\ C = \frac{\partial B}{2\partial P},\ D = \frac{\partial C}{3\partial P},\ \text{etc.}$$

existente P functione data ipsius p, invenire summam hujus seriei.

Solutio.

Sit summa quaesita $= S$, ita ut habeamus

$$S = A + Bz + Cz^2 + Dz^3 + \text{etc.}$$

eritque S functio binarum variabilium p et z, quae posito $z = 0$ abit in Π. Erit igitur differentiando

$$\text{I.}\quad \left(\frac{\partial S}{\partial z}\right) = B + 2Cz + 3Dz^2 + 4Ez^3 + \text{etc.}$$

$$\text{II.}\quad \left(\frac{\partial S}{\partial p}\right) = \frac{\partial A}{\partial p} + \frac{\partial B}{\partial p}z + \frac{\partial C}{\partial p}z^2 + \frac{\partial D}{\partial p}z^3 + \text{etc.}$$

Ex secunda autem deducitur

$$\frac{\partial p}{\partial P}\left(\frac{\partial S}{\partial p}\right) = \frac{\partial A}{\partial P} + \frac{\partial B}{\partial P}z + \frac{\partial C}{\partial P}z^2 + \frac{\partial D}{\partial P}z^3 + \text{etc.}$$

Cum igitur sit $\frac{\partial A}{\partial P} = B$, $\frac{\partial B}{\partial P} = 2C$, $\frac{\partial C}{\partial P} = 3D$, $\frac{\partial D}{\partial P} = 4E$, et ita porro, erit

$$\frac{\partial p}{\partial P}\left(\frac{\partial S}{\partial p}\right) = B + 2Cz + 3Dz^2 + 4Ez^3 + \text{etc.}$$

unde sequitur fore

$$\frac{\partial p}{\partial P}\left(\frac{\partial S}{\partial p}\right) = \left(\frac{\partial S}{\partial z}\right)$$

Quod si statuamus $\partial S = M\partial z + N\partial p$, erit $M = \left(\frac{\partial S}{\partial z}\right)$ et $N = \left(\frac{\partial S}{\partial p}\right)$ ideoque $M = \frac{\partial p}{\partial P} N$, hinc

$$\partial S = M (\partial z + \partial P)$$

unde integrando nanciscimur summam seriei quaesitam

$$S = F : (P + z).$$

Corollarium.

§. 13. Supra §. 8. posuimus sumto $z = 0$ summam seriei abire in Π. Erit igitur $\Pi = F : P$; unde intelligitur summam quaesitam S talem esse functionem ipsius $P + z$ qualis Π est functio ipsius P. Haecque conditio nobis viam aperit valde notam ad solutionem problematis generalioris §. 8. datam perveniendi, quam igitur solutionem hic breviter ob oculos ponam.

Alia solutio problematis §^{i} 8.

§. 14. Cum quaeri debeant valores litterarum A, B, C, etc. in serie:

$$\Phi = A + Bz + Cz^2 + Dz^3 + \text{etc.}$$

nunc vero noverimus Φ esse debere talem functionem ipsius $P + z$, qualis Π est ipsius P, hoc ipso convincimur fieri debere

$$\Phi = \Pi + \frac{z\partial\Pi}{\partial P} + \frac{z^2\partial^2\Pi}{1.2\partial P^2} + \frac{z^3\partial^3\Pi}{1.2.3\partial P^3} + \text{etc.}$$

ita ut habeamus

$$A = \Pi,$$

$$B = \frac{\partial\Pi}{\partial P} = \frac{\partial A}{\partial P},$$

$$C = \frac{\partial^2\Pi}{1.2\partial P^2} = \frac{\partial B}{2\partial P},$$

$$D = \frac{\partial^3\Pi}{1.2.3.\partial P^3} = \frac{\partial C}{3\partial P},$$

et ita porro, qui valores cum supra §. 8. inventis perfecte congruunt.

Exemplum.

§. 15. Exemplis jam supra §§. 9, 10, 11, exhibitis adjungamus adhuc quartum notatu haud indignum, ponendo

$$X = \int \frac{\partial x}{\cos x} = l\,\mathrm{tg}\,(45^\circ + \tfrac{1}{2}x);$$

et cum X abeat in P posito $x = p$, erit $P = l\,\mathrm{tg}\,(45^\circ + \frac{1}{2}p)$. Sumatur nunc $\Phi = \mathrm{tg}\,x$, eritque $\Pi = \mathrm{tg}\,p$, unde cum sit $\partial P = \frac{\partial p}{\cos p}$, habebimus pro A, B, C, etc. sequentes valores

$$A = \Pi = \mathrm{tg}\,p,$$
$$B = \frac{\partial \Pi}{\partial P} = \frac{1}{\cos p} = \sec p,$$
$$C = \frac{\partial^2 \Pi}{2\,\partial P^2} = \tfrac{1}{2}\,\mathrm{tg}\,p,$$
$$D = \frac{\partial^3 \Pi}{6\,\partial P^3} = \tfrac{1}{6}\sec p,$$
$$E = \frac{\partial^4 \Pi}{24\,\partial P^4} = \tfrac{1}{24}\,\mathrm{tg}\,p,$$

et ita porro. His valoribus substitutis series quaesita erit duplex, scilicet:

$$\Phi = \mathrm{tg}\,x = \begin{cases} + \mathrm{tg}\,p\ [1 + \frac{1}{2}z^2 + \frac{1}{24}z^4 + \frac{1}{720}z^6 + \text{etc.}] \\ + \sec p\ [z + \frac{1}{6}z^3 + \frac{1}{120}z^5 + \frac{1}{5040}z^7 + \text{etc.}]. \end{cases}$$

Demonstratio hujus summationis.

§. 16. Operae pretium videtur veritatem hujus summationis accuratius examinasse, quod negotium, quantumvis intricatum et operosum videatur, tamen sequenti modo expedite absolvitur. Commodissime enim hic usu venit, ut ambarum serierum, in expressione ipsius Φ occurrentium, summae jam innotescant, cum sit

$$\frac{e^z + e^{-z}}{2} = 1 + \tfrac{1}{2}z^2 + \tfrac{1}{24}z^4 + \tfrac{1}{720}z^6 + \text{etc.}$$
$$\frac{e^z - e^{-z}}{2} = z + \tfrac{1}{6}z^3 + \tfrac{1}{120}z^5 + \tfrac{1}{5040}z^7 + \text{etc.}$$

Hinc enim sequitur fore

$$\Phi = \text{tg}\, x = \text{tg}\, p \left(\frac{e^z + e^{-z}}{2}\right) + \sec p \left(\frac{e^z - e^{-z}}{2}\right).$$

Jam cum sit (ex §. 8.) $z = x - P$, tum vero (ex §. 15.) $x - P = l\,\frac{\text{tg}\,(45^\circ + \frac{1}{2}x)}{\text{tg}\,(45^\circ + \frac{1}{2}p)}$, erit

$$e^z = \frac{\text{tg}\,(45^\circ + \frac{1}{2}x)}{\text{tg}\,(45^\circ + \frac{1}{2}p)};$$

$$e^{-z} = \frac{\text{tg}\,(45^\circ - \frac{1}{2}x)}{\text{tg}\,(45^\circ - \frac{1}{2}p)}.$$

Constat autem esse

$$\text{tg}\,(45^\circ + \tfrac{1}{2}x) = \frac{1 + \sin x}{\cos x},$$

$$\text{tg}\,(45^\circ - \tfrac{1}{2}x) = \frac{1 - \sin x}{\cos x},$$

unde expressiones pro e^z et e^{-z} modo inventae sequentem in modum transformabuntur:

$$e^z = \frac{1 + \sin x}{1 + \sin p} \cdot \frac{\cos p}{\cos x},$$

$$e^{-z} = \frac{1 - \sin x}{1 - \sin x} \cdot \frac{\cos p}{\cos x}.$$

Erit igitur componendo

$$\frac{e^z + e^{-z}}{2} = \frac{\cos p}{\cos x}\left(\frac{1 - \sin p \sin x}{\cos p^2}\right);$$

$$\frac{e^z - e^{-z}}{2} = \frac{\cos p}{\cos x}\left(\frac{\sin x - \sin p}{\cos p^2}\right).$$

Facta jam substitutione habebimus

$$\Phi = \text{tg}\, x = \frac{\sin p}{\cos p^2 \cos x}\,(1 - \sin p \sin x) + \frac{1}{\cos p^2 \cos x}\,\sin x - \sin p)$$

quod ita reducitur

$$\Phi = \text{tg}\, x = \frac{1}{\cos p^2 \cos x}\,[\sin x - \sin x \sin p^2]$$

sive denique

$$\Phi = \text{tg}\, x = \frac{\cos p^2 \sin x}{\cos p^2 \cos x}.$$

VII.

DÉMONSTRATION

D'UN THÉORÈME GÉNÉRAL RELATIF AU CALCUL INTÉGRAL.

Présenté à l'Académie le 9. Oct. 1822.

§. 1. Dans un mémoire de feu L. Euler ayant pour titre: *De unciis potestatum binomii earumque interpolatione* (¹), où l'on ne s'attendroit guères à rencontrer des recherches nombreuses et suivies concernant des formules intégrales et leurs relations respectives, j'ai trouvé le théorème suivant: *Le produit des intégrales*:

I. $\int x^{\alpha-1}\partial x\,(1-x)^{n-\alpha}$
II. $\int x^{\beta-1}\partial x\,(1-x)^{n-\alpha-\beta}$
III. $\int x^{\gamma-1}\partial x\,(1-x)^{n-\alpha-\beta-\gamma}$
IV. $\int x^{\delta-1}\partial x\,(1-x)^{n-\alpha-\beta-\gamma-\delta}$
etc.

prises depuis $x=0$ *jusqu'à* $x=1$, *garde toujours la même valeur, quelque permutation qu'on fasse subir aux lettres* $\alpha, \beta, \gamma, \delta$, etc.

§. 2. Quelque belle et même rigoureuse que soit la démonstration de ce théorème qu'on pourroit tirer du mémoire cité, en la déduisant de la considération des coëfficiens du binome, comme ce seroit une source féconde à la verité mais indirecte et dérivée d'un domaine étranger, j'ai cru que ce ne seroit pas un travail tout-à-fait inutile que d'en chercher une démonstration plus directe déduite des principes du calcul intégral; et quoique le sujet ne soit pas d'un intérêt majeur, je n'hésite pas à présenter ici celle que j'ai

(¹) Mémoires de l'Acad. *Imp.* des Sciences, Tome IX, pag. 57.

trouvée, parce que la route qui m'y a conduit peut avoir son utilité dans d'autres recherches de cette nature.

§. 3. La marche la plus naturelle à suivre m'a d'abord paru être celle de convertir le produit des intégrales proposées, prises depuis $x = 0$ jusqu'à $x = 1$, en un produit infini et d'examiner ensuite chaque facteur de ce produit pour voir si la permutation des lettres α, β, γ, δ, etc. lui fait subir un changement ou non.

§. 4. Ma méthode de transformer le produit des intégrales proposées en un produit composé d'un nombre infini de facteurs finis est fondée sur la réduction suivante :

$$\int x^{p-1} \partial x (1-x)^{q-1} = \frac{p+q}{p} \int x^p \partial x (1-x)^{q-1}$$

les intégrales étant prises depuis $x = 0$ jusqu'à $x = 1$, et je démontre cette réduction de la manière suivante.

§. 5. Je considère la fonction $x^p (1-x)^q$, dont je prends la différentielle, qui est

$$px^{p-1} \partial x (1-x)^q - qx^p \partial x (1-x)^{q-1}$$

que je représente ainsi :

$$[px^{p-1} \partial x - (p+q) x^p \partial x] (1-x)^{q-1}$$

pour avoir

$$x^p (1-x)^q = p\int x^{p-1} \partial x (1-x)^{q-1} - (p+q) \int x^p \partial x (1-x)^{q-1}$$

et parceque le membre $x^p (1-x)^q$ s'évanouit, lorsque les intégrales se prennent jusqu'à $x = 1$, il en résulte que

$$\int x^{p-1} \partial x (1-x)^{q-1} = \frac{p+q}{p} \int x^p \partial x (1-x)^{q-1}$$

et voilà la réduction du §. 4. démontrée, où il y a une observation à faire, qui nous sera utile dans la suite, c'est que les deux formules intégrales deviendront égales lorsque les exposans de x deviendront infinis ; car en mettant $p = \infty$, on aura $\frac{p+q}{p} = 1$.

§. 6. En traitant de la même manière les fonctions

$$x^{p+1}(1-x)^q,\ x^{p+2}(1-x)^q,\ x^{p+3}(1-x)^q$$

et ainsi de suite on démontrera avec la même facilité les réductions suivantes :

$$\int x^p\,\partial x\,(1-x)^{q-1} = \frac{p+q+1}{p+1}\int x^{p+1}\,\partial x\,(1-x)^{q-1}$$

$$\int x^{p+1}\,\partial x\,(1-x)^{q-1} = \frac{p+q+2}{p+2}\int x^{p+2}\,\partial x\,(1-x)^{q-1}$$

$$\int x^{p+2}\,\partial x\,(1-x)^{q-1} = \frac{p+q+3}{p+3}\int x^{p+3}\,\partial x\,(1-x)^{q-1}$$

et ainsi de suite. D' où il suit que si nous concevons ces réductions continuées jusqu' à l' infini et que dans chacune nous substituons à la formule intégrale sa valeur que donne la suivante, nous aurons :

$$\int x^{p-1}\,\partial x\,(1-x)^{q-1} = \frac{p+q}{p}\cdot\frac{p+q+1}{p+1}\cdot\frac{p+q+2}{p+2}\ldots\int x^{p+\infty}\,\partial x\,(1-x)^{q-1}.$$

§. 7. Mettant dans cette expression $p=1$, elle deviendra

$$\int\partial x\,(1-x)^{q-1} = \frac{q+1}{1}\cdot\frac{q+2}{2}\cdot\frac{q+3}{3}\ldots\int x^{1+\infty}\,\partial x\,(1-x)^{q-1}.$$

Or $\int\partial x\,(1-x)^{q-1} = C - \frac{(1-x)^q}{q}$, où la constante doit être déterminée de manière que l'intégrale s'évanouisse en mettant $x=0$, ce qui étant fait on aura

$$\int\partial x\,(1-x)^{q-1} = \frac{1}{q} - \frac{(1-x)^q}{q}.$$

En faisant maintenant $x=1$, on obtiendra pour les termes d'intégration établis :

$$\int\partial x\,(1-x)^{q-1}\left[\begin{smallmatrix}\text{de } x=0\\ \text{à } x=0\end{smallmatrix}\right] = \frac{1}{q},$$

de sorte que

$$\frac{1}{q} = \frac{q+1}{1}\cdot\frac{q+2}{2}\cdot\frac{q+4}{3}\ldots\ldots\int x^{1+\infty}\,\partial x\,(1-x)^{q-1}.$$

§. 8. Divisons maintenant l'expression trouvée à la fin du §. 6. par celle-ci et nous aurons

$$q\int x^{p-1}\partial x(1-x)^{q-1} = \frac{1(p+q)}{p(q+1)}\cdot\frac{2(p+q+2)}{(p+1)(q+2)}\cdot\frac{3(p+q+2)}{(p+2)(q+3)}\cdots$$
$$\cdots\cdots\frac{\int x^{p+\infty}\partial x(1-x)^{q-1}}{\int x^{1+\infty}\partial x(1-x)^{q-1}}.$$

Or nous avons fait voir plus haut (§. 5.) que si l'exposant de x devient infini dans les deux formules, leur rapport devient celui de l'égalité. Ainsi le dernier facteur de notre produit infini devient égal à l'unité, de sorte que nous aurons :

$$\int x^{p-1}\partial x(1-x)^{q-1} = \frac{1}{q}\cdot\frac{1(p+q)}{p(q+1)}\cdot\frac{2(p+q+1)}{(p+1)(q+2)}\cdot\frac{3(p+q+2)}{(p+2)(q+3)}\cdot\text{etc.}$$

§. 9. Je dois observer ici en passant que dans le produit que je viens de trouver on peut changer entr'elles les lettres p et q, sans que la formule intégrale subisse le moindre changement. Pour le démontrer je fais $x = 1 - z$ et à cause de $\partial x = -\partial z$ la formule intégrale devient: $-\int z^{q-1}\partial z(1-z)^{p-1}$ laquelle, prise depuis $z = 1$ jusqu'à $z = 0$, en changeant les termes de l'intégration, devient positive et égale au produit infini :

$$\frac{1}{p}\cdot\frac{1(p+q)}{(p+1)q}\cdot\frac{2(p+q+1)}{(p+2)(q+1)}\cdot\frac{3(p+q+2)}{(p+3)(q+2)}:\text{etc.}$$

Or nous avons vu que

$$\int z^{q-1}\partial z(1-z)^{p-1}\left[\begin{smallmatrix}\text{de } z=0\\ \text{à } z=1\end{smallmatrix}\right] = \int x^{p-1}(1-x)^{q-1}\left[\begin{smallmatrix}\text{de } x=0\\ \text{à } x=1\end{smallmatrix}\right]$$

par conséquent nous aurons aussi

$$\int x^{p-1}\partial x(1-x)^{q-1} = \frac{1}{p}\cdot\frac{1(p+q)}{(p+1)q}\cdot\frac{2(p+q+1)}{(p+2)(q+1)}\cdot\frac{3(p+q+2)}{(p+3)(q+2)}\cdot\text{etc.}$$

où il est bon de remarquer que chaque terme de ce produit infini nait du précédent, si l'on ajoute l'unité à chacun des facteurs qui en composent le numérateur et le dénominateur, en exceptant le premier terme $\frac{1}{p}$ qui est isolé.

§. 10. Aprésent, à l'aide de cette transformation générale nous serons en état d'exprimer par un produit infini chacune des formules intégrales proposées et rapportées au §. 1. Mais pour rendre plus commode l'application de la formule intégrale générale aux formules spécielles proposées, nous mettrons dans celles-ci $n = m - 1$, ce qui étant fait, les valeurs de p, q, et $p + q$ seront pour les formules proposées comme la table suivante les représente:

Form:	I	II	III	IV	V
p	α	β	γ	δ	ε
q	$m-\alpha$	$m-\alpha-\beta$	$m-\alpha-\beta-\gamma$	$m-\alpha-\beta-\gamma-\delta$	$m-\alpha-\beta-\gamma-\delta-\varepsilon$
$p+q$	m	$m-\alpha$	$m-\alpha-\beta$	$m-\alpha-\beta-\gamma$	$m-\alpha-\beta-\gamma-\delta$

§. 11. Tout étant ainsi préparé pour pouvoir entamer notre objet principal, qui est d'examiner le produit des intégrales proposées, dont la valeur de chacune est exprimée par un produit infini, nous allons considérer successivement le produit des premiers, des seconds, des troisièmes etc. membres de nos produits spéciels, et d'abord la table précédente nous fait voir que le premier facteur solitaire $\frac{1}{p}$ sera pour la première de nos formules intégrales $= \frac{1}{\alpha}$, pour la seconde $= \frac{1}{\beta}$, pour la troisième $= \frac{1}{\gamma}$, et ainsi de suite. Le produit de tous ces facteurs isolés sera donc $= \frac{1}{\alpha\beta\gamma\delta\varepsilon \text{ etc.}}$, et il est évident que cette valeur ne subira aucun changement, de quelque manière qu'on changera entr'elles les lettres α, β, γ, δ, etc.

§. 12. Examinons de la même manière les seconds membres de nos produits spéciels, compris dans la forme générale $\frac{1(p+q)}{(p+1)q}$, laquelle, en substituant successivement les valeurs de la table du §. 10., deviendra pour la formule intégrale

I. - - - $\frac{1 \cdot m}{(\alpha + 1)(m - \alpha)}$

II. - - - $\frac{1 \cdot (m - \alpha)}{(\beta + 1)(m - \alpha - \beta)}$

III. - - - $\frac{1 \cdot (m - \alpha - \beta)}{(\gamma + 1)(m - \alpha - \beta - \gamma)}$

IV. - - - $\frac{1 \cdot (m - \alpha - \beta - \gamma)}{(\delta + 1)(m - \alpha - \beta - \gamma - \delta)}$

etc. etc.

Le produit de ces seconds membres de nos produits spéciels donnera le second membre du produit cherché de nos intégrales, et il sera :

$$\frac{1}{\alpha+1} \cdot \frac{1}{\beta+1} \cdot \frac{1}{\gamma+1} \cdot \frac{1}{\delta+1} \text{ etc.} \times \frac{m}{m-\alpha-\beta-\gamma-\delta-\text{etc.}}$$

qui ne subira non plus aucun changement, de quelque manière qu'on permutera les lettres α, β, γ, δ, etc.

§. 13. En examinant l'expression générale trouvée au §. 9. nous avons vu que chaque membre du produit donne le suivant en ajoutant l'unité à chacun de ses facteurs. Si nous faisons cela au second membre trouvé ci-dessus (§. 12.) nous aurons le troisième membre du produit cherhé :

$$\frac{2}{\alpha+2} \cdot \frac{2}{\beta+2} \cdot \frac{2}{\gamma+2} \cdot \frac{2}{\delta+2} \cdot \text{ etc.} \times \frac{m+1}{m+1-\alpha-\beta-\gamma-\delta-\text{etc.}}$$

En faisant la même opération ici nous obtiendrons le quatrième membre du produit cherché :

$$\frac{3}{\alpha+3} \cdot \frac{3}{\beta+3} \cdot \frac{3}{\gamma+3} \cdot \frac{3}{\delta+3} \text{ etc.} \times \frac{m+2}{m+2-\alpha-\beta-\gamma-\delta-\text{etc.}}$$

De la même manière se trouvera le cinquième $=$

$$\frac{4}{\alpha+4} \cdot \frac{4}{\beta+4} \cdot \frac{4}{\gamma+4} \cdot \frac{4}{\delta+4} \cdot \text{ etc.} \times \frac{m+3}{m+3-\alpha-\beta-\gamma-\delta-\text{etc.}}$$

et tous ces membres ne subissent aucun changement, de quelque manière qu'on change entr'elles les lettres α, β, γ, δ, ε, etc.

§. 14. Ainsi donc parceque les permutations de ces lettres ne changent point les valeurs des membres du produit cherché, il est clair que le produit des intégrales rapportées au §. 1., prises depuis $x = 0$ jusqu'à $x = 1$, ne change point de valeur quelques permutations qu'on fasse subir aux lettres α, β, γ, etc.

C. Q. F. D.

VIII.

DE CURVIS ALGEBRAICIS

QUORUM SINGULI ARCUS ARCUBUS CIRCULARIBUS AEQUANTUR.

Conventui exhibita die 20. Aug. 1823.

§. 1. Ad hujusmodi curvas perduxit me solutio sequentis problematis ex methodo quam vocant tangentium inversam, qua scilicet, data curvae proprietate quacunque, ipsa curva quaeritur. Problema autem ita se habet: *Invenire curvam AZ ad punctum* Fig. 10. *fixum O relatam, ex quo si in tangentem ZT demittatur perpendiculum OT, positis $OZ = z$ et $OT = p$, sit $p = az - zz$,* quod noveram esse proprietatem harum curvarum. An quoque aliis competat videamus.

§. 2. Ad hoc problema solvendum pono angulum $AOZ = \Phi$ et arcum $AZ = s$, et cum sit $OZ = z$ et pro puncto proximo curvae $Zz = \partial s$, $zv = \partial z$ et $Zz = z\partial\Phi$ ob triangula Zvz et OTZ similia erit $Zz : Zv = OZ : OT$, hoc est $\partial s : z\partial\Phi = z : p$, unde fit $p = \frac{zz\partial\Phi}{\partial s}$. Ex conditione problematis autem est $p = z(a - z)$, unde sequitur haec aequatio:

$$z\partial\Phi = (a - z)\,\partial s.$$

Cum autem quadratum elementi arcus sit

$$\partial s^2 = \partial z^2 + zz\partial\Phi^2 = \partial z^2 + (a - z)^2\,\partial s^2$$

habebimus elementum arcus

$$\partial s = \frac{\partial z}{\sqrt{1 - (a - z)^2}}$$

ideoque ipsum arcum

$$s = \text{Arc.}\cos(a - z)$$

unde sequitur fore $a - z = \cos. s$, ideoque $z = a - \cos. s$. Expressio autem modo inventa pro arcu indefinito, declarat omnse nostrae curvae arcus aequari arcui circulari.

§. 3. Nunc ad hanc curvam accuratius cognoscendam quaeramus $\partial\Phi$, et cum sit

$$\partial\Phi = \frac{(a - z)\,\partial s}{z}$$

substituto valore pro ∂s invento erit

$$\partial\Phi = \frac{(a - z)\,\partial z}{z\sqrt{1 - (a - z)^2}}$$

quod si ita integrari possit, ut angulus Φ quoque per arcus circulares exprimi queat, curva erit algebraica.

§. 4. Resolvatur formula integranda in partes, ponaturque

$$\Phi = \int \frac{a\,\partial z}{z\sqrt{1 - (a - z)^2}} - \int \frac{\partial z}{\sqrt{1 - (a - z)^2}}$$

atque evidens est fore

$$\Phi = \int \frac{a\,\partial z}{z\sqrt{1 - (a - z)^2}} - \int \partial s$$

unde sequitur fore

$$\Phi + s = \int \frac{a\,\partial z}{z\sqrt{1 - (a - z)^2}}$$

quae formula ut ab irrationalitate liberetur, ponamus

$$\sqrt{(1 + a - z)(1 - a + z)} = (1 + a - z)\,t$$

tum autem erit

$$z = \frac{a - 1 + (a + 1)\,tt}{1 + tt},$$

$$1 + a - z = \frac{2}{1 + tt},$$

$$1 - a + z = \frac{2\,tt}{1 + tt},$$

unde sequitur fore

$$\sqrt{1 - (a - z)^2} = \frac{2\,t}{1 + tt};$$

Tum vero habebimus

$$\partial z = \frac{4t\partial t}{(1+tt)^2}$$

$$\frac{\partial z}{z} = \frac{4t\partial t}{(1+tt)(a-1+(a+1)tt)}$$

$$\Phi + s = \int \frac{2a\partial t}{a-1+(a+1)tt}$$

unde actu integrando prodit

$$\Phi + s = \frac{2a}{\sqrt{aa-1}} \text{ Arc. tg } t\sqrt{\frac{a+1}{a-1}};$$

ita ut, si ponamus $\text{A. tg. } t\sqrt{\frac{a+1}{a-1}} = \theta$, perventi simus ad hanc aequationem

$$\Phi + s = \frac{2a}{\sqrt{aa-1}}\theta.$$

§. 5. Hinc intelligitur, quoties fuerit $\frac{2a}{\sqrt{aa-1}}$ numerus rationalis, curvam nostram fore algebraieam. Sit enim $\frac{2a}{\sqrt{aa-1}} = n$, erit $\Phi = n\theta - s$, unde tam $\sin\Phi$ quam $\cos\Phi$ algebraice exprimi poterunt, ideoque etiam aequatio inter coordinatas orthogonales

$$OX = x = z\cos\Phi \text{ et } XZ = x = z\sin\Phi,$$

erit algebraica.

§. 6. Tractemus nunc problema inversum et *quaeramus curvas algebraicas ad punctum fixum O relatas, quarum arcus per arcus circulares exprimantur.* Hunc in finem, servatis denominationibus jam supra adhibitis, constet fore in genere:

$$\partial s^2 = \partial z^2 + zz\,\partial\Phi^2.$$

§. 7. Jam quoniam requiritur ut arcus s aeque ac angulus Φ per arcus circulares exprimantur, ponamus

$$\partial s = \frac{c\partial t}{1+tt}$$

$$\partial\Phi = \frac{f\partial t}{1+tt} + \frac{g\partial t}{a+bt+tt}$$

quae ambae partes sunt circulares, eritque, fractionibus ad communem denominatorem reductis:

$$\partial\Phi = \frac{(af + g + bft + (f + g)\,tt)\,\partial t}{(1 + tt)(a + bt + tt)}.$$

§. 8. Sumatur nunc

$$z = \frac{a + bt + tt}{1 + tt}$$

atque habebimus

$$\frac{z\,\partial\Phi}{\partial t} = \frac{\alpha + \beta t + \gamma tt}{(1 + tt)^2}$$

posito brevitatis gratia

$$\alpha = af + g,$$
$$\beta = bf,$$
$$\gamma = f + g.$$

Tum vero erit

$$\frac{\partial z}{\partial t} = \frac{b + 2(1 - a)\,t - btt}{(1 + tt)^2}$$

existente (§. 7.)

$$\frac{\partial s}{\partial t} = \frac{c}{1 + tt}.$$

§. 9. Quodsi nunc valores §. 8. traditos in aequatione §. 6.

$$\left(\frac{\partial z}{\partial t}\right)^2 + \left(\frac{z\,\partial\Phi}{\partial t}\right)^2 - \left(\frac{\partial s}{\partial t}\right)^2 = 0$$

substituamus, prodibit sequens aequatio determinationi litterarum α, β, γ, inserviens:

$$\left.\begin{array}{lllll}
\text{I} & \text{II} & \text{III} & \text{IV} & \text{V} \\
+ bb & + 4b(1-a)t & - 2bbt^2 & - 4b(1-a)t^3 & + bbt^4 \\
+ \alpha\alpha & + 2\alpha\beta t & + 4(1-a)^2 t^2 & + 2\beta\gamma t^3 & + \gamma\gamma t^4 \\
- cc & & + 2\alpha\gamma t^2 & & - cct^4 \\
 & & + \beta\beta t^2 & & \\
 & & - 2cct^2 & &
\end{array}\right\} = 0$$

cujus igitur singula membra seorsim ad nihilum redigi oportet, unde sequitur fore

Ex I. $cc = bb + \alpha\alpha$:

Ex V. $cc = bb + \gamma\gamma$.

Hinc $\gamma\gamma = \alpha\alpha$

et $\gamma = \pm \alpha$.

Ex II. $\alpha\beta = -2b(1-a)$:

Ex IV. $\beta\gamma = +2b(1-a)$.

Hinc, si $\gamma = -\alpha$,

erit $\beta = -\frac{2b(1-a)}{\alpha}$.

Ex III. $4(1-a)^2 - 4bb - 4\alpha\alpha + \frac{4bb(1-a)^2}{\alpha\alpha} = 0$.

Hinc $(1-a)^2 = \alpha\alpha$.

Habebimus igitur

$$\alpha = a - 1, \; \beta = 2b, \; \gamma = 1 - a.$$

§. 10. Quo nunc etiam valores litterarum f et g obtineamus notandum est, ob $\gamma = -\alpha$, sive ob $\alpha + \gamma = 0$, fore $(a+1)f + 2g = 0$, unde fit $g = -\frac{1}{2}f(a+1)$. Tum vero, quoniam $\gamma - \alpha = -2\alpha$, erit $(1-a)f = -2\alpha = 2(1-a)$, ideoque $f = 2$, hincque $g = -a - 1$.

§. 11. Cum igitur hoc modo omnes litteras α, β, γ, f et g determinaverimus, litterae vero a et b manserint indeterminatae, ob

$$c = \sqrt{bb + \gamma\gamma} = \sqrt{bb + (1-a)^2}$$

habebimus

$$\partial s = \frac{\partial t \sqrt{bb + (1-a)^2}}{1+tt}$$

$$z = \frac{a + bt + tt}{1+tt}$$

$$\partial \Phi = \frac{2\partial t}{1+tt} - \frac{(a+1)\partial t}{a + bt + tt}$$

unde omnia curvae elementa sequenti modo per t definientur:

$$s = \sqrt{bb + (1 - a)^2} \,.\, \text{Arc. tg. } t$$
$$z = \frac{a + bt + tt}{1 + tt}$$
$$\Phi = 2\,\text{A. tg.}\, t - \frac{2(a+1)}{\sqrt{4a - bb}} \times \text{A. tg} \frac{t\sqrt{4a - bb}}{2a + bt}$$

Curva igitur erit algebraica, quoties $\frac{2(a+1)}{\sqrt{4a - bb}}$ est numerus rationalis.

§. 12. Haec quidem solutio generalior esse videtur praecedente, re vera autem cum illa perfecte est consentanea. Ad quod ostendendum quaeratur perpendiculum in tangentem $OT = p$, quod cum in genere sit $p = \frac{zz\,\partial\Phi}{\partial s}$ (§. 2.), ex nostris formulis erit

$$\left.\begin{array}{l} \partial\Phi = \frac{2\partial t}{1 + tt} - \frac{(a+1)\,\partial t}{a + bt + tt} \\ a + bt + ctt = z(1 + tt) \end{array}\right\} \text{(§. 11.)}$$

$$\frac{\partial t}{1 + tt} = \frac{\partial s}{c} \text{ (§. 7.)}$$

unde binis postremis in prima substitutis habebimus

$$\partial\Phi = \frac{2\partial s}{c} - \frac{(a+1)\partial s}{cz}$$

hincque sequitur fore

$$\frac{zz\,\partial\Phi}{\partial s} = \frac{2zz}{c} - \frac{(a+1)z}{c}$$

unde sumto $c = -2$ prodibit

$$p = \left(\frac{a+1}{2}\right) z - zz = a'z - zz$$

ut in prima solutione assumsimus.

IX.

INTEGRATIO

AEQUATIONUM DIFFERENTIALIUM:

$$y\partial x - x\partial y = a\sqrt[n]{\partial x^n + \partial y^n}$$

&

$$xy(\partial x^2 - \partial y^2) - \partial x\partial y(xx - yy + aa) = 0.$$

Conventui exhibita die 2. Mart. 1825.

§. 1. Huic aequationi tractandae ansam praebuere integrationes aequationum

$$y\partial x - x\partial y = a\sqrt{\partial x^2 + \partial y^2}$$
$$y\partial x - x\partial y = a\sqrt[3]{\partial x^3 + \partial y^3}$$

quarum priorem Eulerus in Calculi Integralis Tomo 1. pag. 459, alteram pag. 462. integratas dedit, neque vero illam in titulo expositam, generaliorem, aggressus est, in qua binae modo memoratae aequationes, tanquam casus speciales, sunt contentae. Cum igitur ipse Eulerus hos casus specialiores tractatu satis difficiles declarat, si operationes more consueto instituantur, solutionem aequationis illius latius patentis, quam mihi integrandam proposui, heic exhibere eo minus dubito, quod integrale ejus, quantum quidem mihi innotuit, a nemine adhuc prolatum fuerit in medium.

§. 2. Statuatur igitur in aequatione proposita $\partial y = p\partial x$, eaque induet hanc formam:

$$y - px = a\sqrt[n]{1 + p^n}.$$

Differentietur haec aequatio, et ob $\partial y = p\partial x$ fiet

$$x\partial p = - ap^{n-1}\partial p(1 + p^n)^{\frac{1-n}{n}}$$

cujus aequationis unus factor $\partial p = 0$ dat $p = b$, unde hanc nanciscimur aequationem integralem

$$y - bx = a\sqrt[n]{1 + b^n}$$

ita ut habeamus ex factore ∂p

$$y = bx + a\sqrt[n]{1 + b^n}.$$

§. 3 Consideretur nunc alter factor

$$x = -ap^{n-1}(1 + p^n)^{\frac{1-n}{n}}$$

et cum sit

$$y = px + a\sqrt[n]{1 + p^n},$$

illo valore x hic substituto, erit

$$y = -ap^n(1 + p^n)^{\frac{1-n}{n}} + a\sqrt[n]{1 + p^n}$$

quae expressio, facta reductione debita, in hanc abit

$$y = a(1 + p^n)^{\frac{1-n}{n}}.$$

§. 4. Jam cum invenerimus pro altera variabili x valorem:

$$x = -ap^{n-1}(1 + p^n)^{\frac{1-n}{n}}$$

manifestum est fore

$$\frac{x}{y} = -p^{n-1}$$

ex ut habeamus

$$p = \left(-\frac{x}{y}\right)^{\frac{1}{n-1}}$$

ita quo nanciscimur

$$1 + p^n = 1 + \left(-\frac{x}{y}\right)^{\frac{n}{n-1}}.$$

§. 5. Ex valore autem supra (§. 4.) pro y invento sequitur fore

$$\frac{y}{a} = (1 + p^n)^{\frac{1-n}{n}}$$

sive, quod eodem redit

$$\frac{a}{y} = (1 + p^n)^{\frac{n-1}{n}}$$

ita ut, si loco $1 + p^n$ valor supra (§. 4.) inventus substituatur, habeamus hanc aequationem inter variabiles x et y:

$$\frac{a}{y} = (1 + (-\frac{x}{y})^{\frac{n}{n-1}})^{\frac{n-1}{n}}$$

quam ita repraesentemus:

$$(\frac{a}{y})^{\frac{n}{n-1}} = 1 + (-\frac{x}{y})^{\frac{n}{n-1}}$$

quae fractionibus sublatis, sive ducta in $y^{\frac{n}{n-1}}$ abit in hanc:

$$a^{\frac{n}{n-1}} = y^{\frac{n}{n-1}} + (-x)^{\frac{n}{n-1}}.$$

§. 6. Quod si nunc loco x scribamus $-z$, aequationis differentialis hujus:

$$z\partial y - y\partial z = a\sqrt[n]{\partial y^n + \partial z^n}$$

integrale alterum erit

$$a^{\frac{n}{n-1}} = y^{\frac{n}{n-1}} + z^{\frac{n}{n-1}},$$

alterum vero

$$y = a\sqrt[n]{1 + b^n} - bz,$$

ex quibus integrale completum aequationis differentialis componitur.

§. 7. Sit $n = 2$ et aequationis

$$z\partial y - y\partial z = a\sqrt{\partial y^2 + \partial z^2}$$

unum integrale erit

$$y = a\sqrt{1 + bb} - bz$$

alterum vero

$$y = \sqrt{aa - zz}$$

quae ambo, restituto loco z valore $-x$ cum solutione Euleri (Calc. integr. T. I. pag. 459.) perfecte congruunt.

§. 8. Sumatur nunc $n = 3$ et aequationis

$$z\partial y - y\partial z = a\sqrt[3]{\partial y^3 + \partial z^3}$$

alterum integrale erit

$$y = a\sqrt[3]{1 + b^3} - bz$$

alterum vero

$$y = \sqrt[3]{(a\sqrt{a} - z\sqrt{z})^2}$$

quae cum solutione Euleri (Calc. int. T. I. p. 462.) congruunt.

Additamentum de aequatione differentiali
$xy(\partial x^2 - \partial y^2) - \partial x\partial y(xx - yy + aa) = 0.$

§. 9. Cum haec aequatio, aeque ac in superioribus paragraphis tractatae, ad eundem ordinem pertinet aequationum differentialium, in quo differentialia ad plures dimensiones assurgunt et cujus integratio, si methodus consueta adhibeatur, variis difficultatibus obvoluta deprehenditur, viam, quam ingressus sum, ad eam resolvendam, haud abs re erit heic quoque breviter exposuisse.

§. 10. Primum observasse juvabit aequationem heic propositam etiam hoc modo repraesentari posse:

$$(y\partial x - x\partial y)(x\partial x + y\partial y) = aa\partial x\partial y$$

unde statim intelligitur pro casu quo $a = 0$ oriri duas solutiones, alteram ex aequatione $y\partial x - x\partial y = 0$ quae dat $\frac{\partial y}{y} = \frac{\partial x}{x}$, ergo $ly = la + lx$, ideoque $y = ax$ pro linea recta; alteram vero solutionem oriri ex factore $x\partial x + y\partial y = 0$, ex quo fit $xx + yy = \beta\beta$, pro circulo.

§. 11. Hinc autem intelligitur in genere, quicquid fuerit aa solutionem aequationis ita comparatam esse debere, ut, sumto $a = 0$ tam linea recta quam circulus prodeant ex solutione generali.

§. 12. His praeviis observationibus, viam sternentibus, praemissis aggrediamur solutionem aequationis propositae, ponendo $\partial y = p\partial x$, quo facto ea induet hanc formam:

$$(y - px)(x + py) = aap$$

ex qua autem neque x, neque y, neque p commode determinare licet.

§. 13. Difficultas ista e medio tolletur, si statuatur $y = ux$, quo facto aequatio fiet

$$(u - p)(1 + pu)\, xx = aap.$$

Hinc sumtis differentialibus logarithmicis prodibit

$$\frac{\partial u - \partial p}{u - p} + \frac{p\partial u + u\partial p}{1 + pu} + \frac{2\partial x}{x} = \frac{\partial p}{p}.$$

§. 14. Cum autem sit

$$\partial y = u\partial x + x\partial u = p\partial x$$

habebimus pro $\frac{\partial x}{x}$ hunc valorem:

$$\frac{\partial x}{x} = \frac{\partial u}{p - u}$$

quo in praecedente aequatione substituto emerget ista:

$$\frac{\partial p + \partial u}{p - u} + \frac{pp\,\partial u - \partial p}{p\,(1 + pu)} = 0$$

quae in hanc abit

$$(p\partial u + u\partial p)(1 + pp) = 0.$$

§. 15. Hujus aequationis factor posterior, ob $p = \sqrt{-1}$, dat nullam solutionem; alter vero factor $p\partial u + u\partial p = 0$ dat

$$\frac{\partial p}{p} = -\frac{\partial u}{u}$$

unde integrando elicitur

$$lp = lc - lu \quad \text{et} \quad p = \frac{c}{u}.$$

§. 16. Cum igitur invenerimus (§. 14.)

$$\frac{\partial x}{x} = \frac{\partial u}{p - u}$$

si loco p valor modo inventus hic substituatur, fiet

$$\frac{\partial x}{x} = \frac{u \partial u}{c - uu}$$

sumtisque integralibus erit

$$lx = lb - l\sqrt{c - uu}$$

ita ut habeamus

$$x = \frac{b}{\sqrt{c - uu}}$$

$$y = ux = \frac{bu}{\sqrt{c - uu}}$$

pro solutione completa nostrae aequationis differentialis.

§. 17. In hanc quidem solutionem ingressae sunt duae constantes arbitrariae, b et c; verum postrema c per priorem b et per constantem datam a aequationis propositae determinabitur. Constans enim c ita est definienda ut fiat

$$xx\,(u - p)\,(1 + pu) = aap.$$

Hoc autem praestabitur, si in hac aequatione loco y et p valores inventi substituantur, quo facto fiet:

$$\frac{bb}{c - uu}\left(u - \frac{c}{u}\right)(1 + c) = \frac{aac}{u}$$

quae aequatio a fractionibus liberata ita se habebit:

$$bb\,(uu - c)\,(1 + c) = aac\,(c - uu)$$

unde concluditur fore

$$c = -\frac{bb}{aa + bb}.$$

§. 18. Quodsi igitur quaeratur linea curva, cujus si resecta ducatur in summam, vel differentiam, abscissae et subnormalis, productum ubique eundem obtineat valorem, solutio in promtu est. Erunt enim curvae coordinatae $x = \frac{b}{\sqrt{c - uu}}$ et $y = \frac{bu}{\sqrt{c - uu}}$, unde curva construi poterit.

§. 19. Cum igitur sit $x = \frac{b}{\sqrt{c - uu}}$ et $u = \frac{y}{x}$, erit

$$x = \frac{bx}{\sqrt{cxx - yy}} \quad \text{sive} \quad 1 = \frac{b}{\sqrt{cxx - yy}}$$

ideoque $cxx - yy = bb$, quae aequatio indicat sectionem conicam centrum in initio abscissarum habentem.

§. 20. Videamus nunc utrum solutio nostra generalis aequationis differentialis propositae revera ita sit comparata, ut sumto in ea valore $a = 0$ prodeant ex ea linea recta et circulus, quemadmodum in §. 11. postulabatur. Hunc in finem revertamur ad aequationem §. 17. inventam

$$bb\,(1 + c) = - aac$$

et sumto $a = 0$ evidens est fieri quoque debere $b = 0$, ideoque aequatio §. 19. inventa $cxx - yy = bb$, nunc fiet $cxx - yy = 0$; unde fit $y = x\sqrt{c}$ pro lineis rectis ex initio abscissarum A eductis, in quibus igitur resecta nulla. Tum vero quoniam, sumto $a = 0$, et $c = - 1$, aequationi $bb\,(1 + c) = - aac$ quoque satisfit, ex eadem sequitur $bb = \frac{0}{0} = \beta\beta$, ex aequatione §. 19: $cxx - yy = \beta\beta$ vero concluditur fore $yy = \beta\beta - xx$, pro circulo centrum in initio abscissarum habente, pro quo nempe differentia abscissam inter et subnormalem in nihilum abit.

X.

DE INTEGRATIONE AEQUATIONIS DIFFERENTIALIS

$$v\partial v + v(3y + f)\partial y + (y^3 + fy^2 + gy + h)\partial y = 0.$$

Conventui exhibita die 23. Aug. 1826.

§. 1. De hujus aequationis differentialis integratione primus, ni fallor, disseruit summus quondam Eulerus in Tomo XVII Novorum Academiae Commentariorum, ubi imprimis docuit, quomodo investigari debeant multiplicatores, seu divisores, quorum ope aequatio illa integrabilis evadat, ipsum autem ejus integrale tantum indicavit et quidem sub forma non admodum commoda, aequatione scilicet finita algebraica, in qua vero ambae variabiles adhuc valde sunt permixtae.

§. 2. Cupiebam scire, an non integrale aequationis differentialis propositae duas variabiles complectentis ita adornari possit, ut utraque variabilis algebraice per novam, tertiam, exhiberi queat, vel ut variabiles ita adeo separari patiantur, ut una per alteram prodeat expressa. Hunc in finem ipsam integrationem adgressus sum duplici modo, et quasnam adeptus sim integralium formas heic, una cum methodis adhibitis breviter exhibebo.

Methodus prior.

§. 3. Consideretur aequatio differentialis tertii gradus haec:

$$\partial^3 z + f\partial\partial z\partial t + g\partial z\partial t^2 + hz\partial t^3 = 0$$

in qua ∂t ut constans spectetur. Statuatur autem

$$z = Ae^{\alpha t} + Be^{\beta t} + Ce^{\gamma t}$$

atque cum sit

$$\begin{aligned}
\partial^3 z &= \partial t^3\,(A\alpha^3 e^{\alpha t} + B\beta^3 e^{\beta t} + C\gamma^3 e^{\gamma t})\\
f\partial^2 z\partial t &= f\partial t^3\,(A\alpha^2 e^{\alpha t} + B\beta^2 e^{\beta t} + C\gamma^2 e^{\gamma t})\\
g\partial z\partial t^2 &= g\partial t^3\,(A\alpha\; e^{\alpha t} + B\beta\; e^{\beta t} + C\gamma\; e^{\gamma t})\\
h\,z\partial t^3 &= h\partial t^3\,(A\quad e^{\alpha t} + B\quad e^{\beta t} + C\quad e^{\gamma t})
\end{aligned}$$

manifestum est fieri debere:

$$\left.\begin{aligned}
&A\alpha^3 e^{\alpha t} + B\beta^3 e^{\beta t} + C\gamma^3 e^{\gamma t}\\
&+ f\,(A\alpha^2 e^{\alpha t} + B\beta^2 e^{\beta t} + C\gamma^2 e^{\gamma t}\\
&+ g\,(A\alpha\; e^{\alpha t} + B\beta\; e^{\beta t} + C\gamma\; e^{\gamma t}\\
&+ h\,(A\quad e^{\alpha t} + B\quad e^{\beta t} + C\quad e^{\gamma t}
\end{aligned}\right\} = 0$$

hoc est fieri debere:

$$\begin{aligned}
\alpha^3 + f\,\alpha^2 + g\alpha + h &= 0\\
\beta^3 + f\,\beta^2 + g\beta + h &= 0\\
\gamma^3 + f\gamma^2 + g\gamma + h &= 0
\end{aligned}$$

Hinc autem sequitur valorem

$$z = Ae^{\alpha t} + Be^{\beta t} + Ce^{\gamma t}$$

fore integrale completum aequationis illius tertii gradus:

$$\partial^3 z + f\partial^2 z\partial t + g\partial z\partial t^2 + hz\partial t^3 = 0,$$

siquidem α, β, γ, fuerint radices aequationis cubicae

$$\lambda^3 + f\lambda^2 + g\lambda + h = 0.$$

Istud integrale ceterum etiam a priori invenire licet, quae autem investigatio scopo nostro est aliena.

§. 4. Transformemus nunc aequationem illam differentialem tertii gradus in aliam primi gradus quod fiet ponendo

$$\partial z = p\partial t \quad \text{et} \quad \partial p = q\partial t$$

ita ut habeamus

$$\begin{aligned}
\partial^2 z &= \partial p\partial t = q\partial t^2\\
\partial^3 z &= \partial q\partial t^2
\end{aligned}$$

quibus in aequatione tertii gradus substitutis, ea transfunditur in sequentem primi gradus:

$$\partial q + f\partial p + gp\partial t + hz\partial t = 0$$

ubi notandum est ob $p = \frac{\partial z}{\partial t}$ fore

$$p = A\alpha e^{\alpha t} + B\beta e^{\beta t} + C\gamma e^{\gamma t}.$$

§. 5. Quoniam autem in aequatione modo tradita insunt tres variabiles p, q, z, una cum elemento constante ∂t, adhuc aliis transformationibus opus est, ut obtineamus aequationem duas tantum variabiles involventem. Hunc in primo, ob

$$\partial z = p\partial t \text{ et } q = \frac{\partial p}{\partial t} = \frac{p\partial p}{\partial z}$$

ideoque

$$\partial q = \frac{p\partial\partial p + \partial p^2}{\partial z},$$

scribamus hos valores, quo facto aequatio hanc induet formam:

$$\frac{p\partial\partial p + \partial p^2}{\partial z} + f\partial p + g\partial z + \frac{hz\partial z}{p} = 0.$$

Tum vero ponamus $p = yz$ et $\partial p = x\partial z = y\partial z + z\partial y$, ita ut sit $\frac{\partial z}{z} = \frac{\partial y}{x - y}$ et aequatio modo tradita abibit in hanc:

$$yz\partial x + xx\partial z + fx\partial z + g\partial z + \frac{h\partial z}{y} = 0$$

ex qua porro concluditur fore:

$$\frac{\partial z}{z} = -\frac{y\partial x}{xx + fx + g + \frac{h}{y}} = \frac{\partial y}{x - y},$$

ita ut nunc adepti simus hanc aequationem duas tantum variabiles complectentem:

$$y^2(x - y)\partial x + (x^2 y + fxy + gy + h)\partial y = 0$$

§. 6. Hujus jam aequationis integrale completum in promtu habemus. Cum enim sit $y = \frac{p}{z}$ et $x = \frac{\partial p}{\partial z}$ (§. 5.), nec non

$$p = A\alpha e^{\alpha t} + B\beta e^{\beta t} + C\gamma e^{\gamma t} \quad (§. 4.)$$
$$z = A\ e^{\alpha t} + B\ e^{\beta t} + C\ e^{\gamma t} \quad (§. 3.)$$

ambae ejus variabiles x et y sequenti modo per tertiam variabilem t sequenti modo determinabuntur:

$$x = \frac{\alpha^2 A e^{\alpha t} + \beta^2 B e^{\beta t} + \gamma^2 C e^{\gamma t}}{\alpha A e^{\alpha t} + \beta B e^{\beta t} + \gamma C e^{\gamma t}};$$

$$y = \frac{\alpha A e^{\alpha t} + \beta B e^{\beta t} + \gamma C e^{\gamma t}}{A e^{\alpha t} + B e^{\beta t} + C e^{\gamma t}}.$$

§. 7. Quod si nunc denique statuamus $x = \frac{v}{y} + y$ et $e^t = u$, tum aequatio differentialis modo integrata hanc recipiet faciem:

$$v\partial v + v(3y + f)\partial y + (y^3 + fy^2 + gy + h)\partial y = 0,$$

quae igitur ea ipsa est, cujus integrale quaerimus. Cum autem sit ut §. 6. vidimus

$$y = \frac{\alpha A u^{\alpha} + \beta B u^{\beta} + \gamma C u^{\gamma}}{A u^{\alpha} + B u^{\beta} + C u^{\gamma}}$$

ob $v = xy - yy$ habebimus

$$v = \frac{(\alpha - \beta)^2 AB u^{\alpha+\beta} + (\alpha - \gamma)^2 AC u^{\alpha+\gamma} + (\beta - \gamma)^2 BC u^{\beta+\gamma}}{(A u^{\alpha} + B u^{\beta} + C u^{\gamma})^2}$$

ita ut ambae variabiles v et y per tertiam u sint expressae. Ubi adhuc tenendum est hoc integrale fore adeo algebraicum, quoties α, β, γ sunt numeri rationales.

Methodus altera, directa.

§. 8. Tentemus viam magis directam ad integrale nostrae aequationis propositae ducentem. Hunc infinem ponamus brevitatis gratia

$$M = 3y + f$$
$$N = y^3 + fy^2 + gy + h$$

ut aequatio resolvenda sit

$$v\partial v + Mv\partial y + N\partial y = 0$$

Tum vero statuatur $\partial v = p\partial y$ atque habebimus

$$v = -\frac{N}{p + M}$$
$$p\partial y = -\partial . \frac{N}{p + M}$$

Sit autem $p + M = q$ eritque $p\partial y = -\partial . \frac{N}{q}$. hoc est

$$q\partial y - \mathrm{M}\partial y = -\frac{q\partial \mathrm{N} + \mathrm{N}\partial q}{qq}$$

Hinc posito $\partial\mathrm{N} = \mathrm{N}'\partial y$ emergit ista aequatio :

$$q\partial y - \mathrm{M}\partial y = -\frac{\mathrm{N}'\partial y}{q} + \frac{\mathrm{N}\partial q}{qq}$$

quae transmutatur in hanc :

$$(q^3 - \mathrm{M}q^2 + q\mathrm{N}')\,\partial y = \mathrm{N}\partial q.$$

§. 9. Ad hanc aequationem separabilem reddendam ponamus $q = s + y$, ita ut $\partial q = \partial s + \partial y$, quibus valoribus substitutis, restitutisque loco M, N et

$$\mathrm{N}' = \frac{\partial \mathrm{N}}{\partial y} = 3y^2 + 2fy + g$$

suis valoribus, orietur aequatio

$$(s^3 - fs^2 + gs - h)\,\partial y = (y^3 + fy^2 + gy + g)\partial s$$

ita ut, separatione peracta, sit

$$\frac{\partial s}{s^3 - fs^2 + gs - h} = \frac{\partial y}{y^3 + fy^2 + gy + h}$$

quam igitur aequationem integrare licebit, sive ope idonei multiplicatoris (V. Euleri Instit. Calc. Integr. T. III. p. 500), sive subsidio resolutionis denominatorum in factores fractionumque ambarum in fractiones simplices (V. Actor. Acad. T. I. P. I. p. 91). Hoc enim modo s determinabitur per y et quidem generaliter, si post integrationem constans rite adjiciatur.

§. 10. Cum igitur $v = -\frac{\mathrm{N}}{p + \mathrm{M}}$, hoc est

$$v = -\frac{\mathrm{N}}{q} = -\frac{\mathrm{N}}{s + y},$$

habemus

$$v = -\frac{y^3 - fy^2 - gy - h}{s + y}$$

En igitur solutionem directam atque completam nostrae aequationis differentialis

$$v\partial v + v(3y + f)\,\partial y + (y^3 + fy^2 + gy + h)\,\partial y = 0$$

utpote cujus unam variabilem v per alteram y determinare nobis erat propositum.

Aequationis aliquanto generalioris

$$v\partial v + v(3ny + f)\partial y + (n^2y^3 + nfy^2 + gy + h)\partial y = 0$$

resolutio directa.

§. 11. Haec aequatio tractari potest methodo prorsus simili ejus, qua supra usi sumus. Statuatur enim, ut supra §. 8. fecimus:

$$M = 3ny + f$$
$$N = n^2y^3 + nfy^2 + gy + h$$

sitque $\partial v = p\partial y$ et aequatio hic resolvenda evadet

$$vp\partial y + Mv\partial y + N\partial y = 0$$

ex qua sequitur fore

$$v = -\frac{N}{p + M}$$

tum vero posito $p + M = q$ atque $\partial N = N'\partial y$, prosequendo eundem calculum, quem supra §. 8. instituimus, pervenimus ad hanc aequationem:

$$(q^3 - q^2M + qN')\partial y = N\partial q.$$

§. 12. Ponamus nunc $q = s + L$ et aequatio modo tradita hanc induet formam:

$$\left\{\begin{array}{r} s^3 + 3s^2L + 3sL^2 + L^3 \\ - s^2M - 2sML - ML^2 \\ + sN' + N'L \\ - N\partial L \end{array}\right\}\partial y = N\partial s$$

quae, ut in oculos incurrit, separabilis fiet, si coëfficientes terminorum potestates s^2, s^1, s^0 involventium constantes induant valores. Quod si nunc statuatur

$$M - 3L = f;$$
$$3L - 2ML + N = g;$$
$$L^3 - ML^2 + N'L - N\partial L = k;$$

tum vero ponatur $L = ny$, erit

$$M = 3ny + f$$
$$N' = \frac{\partial N}{\partial y} = 3ny^2 + 2nfy + g$$

atque quoniam est

$$\begin{aligned}
+\ L^3 &= +\ n^3y^3 \\
-\ ML^2 &= -\ 3n^3y^3 - fn^2y^2 \\
+\ N'L &= +\ 3n^3y^3 + 2fn^2y^2 + gny \\
-\ N\partial L &= -\ n^3y^3 - fn^2y^2 - gny - nh
\end{aligned}$$

tertiae aequationi conditionali jam est satisfactum, cum sponte fiat quantitas constans

$$L^3 - ML^2 + N'L - N\partial L = k = -nh.$$

§. 13. Aequatio igitur initio paragraphi praecedentis allata nunc ita se habet:

$$(s^3 - fs^2 + gs - hn)\,\partial y = (n^2y^3 + nfy^2 + gy + h)\,\partial s$$

unde manifestum est s definiri posse per y ex aequatione

$$\frac{\partial s}{s^3 - fs^2 + gs - hn} = \frac{\partial y}{n^2y^3 + nfy^2 + gy + h}$$

et cum sit $v = -\frac{N}{q} = -\frac{N}{s+y}$, erit

$$v = -\frac{n^2y^3 - nfy^2 - gy - h}{s+y}$$

integrale completum aequationis differentialis propositae.

XI.

FORMULARUM QUARUNDAM
INTEGRALIUM DUPLICATARUM INTEGRATIO.

Conventui exhibita die 23. Aug. 1826.

§. 1. Formulas integrales duplicatas Eulerus eas appellavit, quae, duplici signo summatorio affectae, duplicem integrationem requirunt, in quarum priore binarum variabilium in formulam ingredientium sola una ut variabilis spectatur in posteriore vero altera. Hujusmodi formularum aliquot tractare earumque integralia, intra duplices terminos integrationis contenta, hic exhibere in animum induxi.

§. 2. Ad priora problemata hujus dissertationis solvenda ansam dedit consideratio solidi rotundi resolutione circa axem z geniti, cujus soliditas, cum sit $\int \pi vv \partial z$, posito $z = v^{2n}$ et integrali a $v = 0$ ad $v = 1$ extenso, erit $= \frac{\pi n}{n+1}$. Cum enim eadem expressio pro soliditate oriri debeat, quomodocunque coordinatae permutentur, hinc sequens problema proponi poterit:

Problema 1.

§. 3. *Si fuerit* $V = \int \partial x \, (xx + yy)^n \left[\begin{smallmatrix} \text{ab } x = 0 \\ \text{ad } x = 1 \end{smallmatrix}\right]$ *invenire integrale*

$$\int V \partial y \left[\begin{smallmatrix} \text{ab } y = 0 \\ \text{ad } y = \sqrt{1 - xx} \end{smallmatrix}\right].$$

Solutio.

Hic scilicet pro soliditate sumitur formula $\int \partial x \int \partial y \, (1 - v^{2n})$ sive $\int \partial x \int \partial y \, (1 - (xx + yy)^n)$, unde pro parte priore habebimus

$$\int \partial x \int \partial y \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } y = 0 \\ \text{ad } y = \sqrt{1 - xx}\end{smallmatrix}\right] = \int \partial x \sqrt{1 - xx}.$$

Est vero $\int \partial x \sqrt{1 - xx} \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } x = 0 \\ \text{ad } x = 1\end{smallmatrix}\right] = \frac{\pi}{4}$, ideoque pars prior $\int \partial x \int \partial y = \frac{\pi}{4}$. Soliditas igitur erit

$$4 \left(\frac{\pi}{4} - \int \partial y \,.\, \int \partial x \,(xx + yy)^n\right)$$

sive restituto V erit ea

$$4 \left(\frac{\pi}{4} - \int \mathrm{V} \,\partial y\right)$$

quae cum debeat esse $= \frac{\pi n}{n + 1}$ (§. 2.), habebimus

$$\int \mathrm{V} \partial y \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } y = 0 \\ \text{ad } y = \sqrt{1 - xx}\end{smallmatrix}\right] = \frac{\pi}{4(n + 1)}.$$

Scholion.

§. 4. Haec integratio ideo notatu est digna, quod facta evolutione binomii $(xx + yy)^n$ prodeat series, quae ducta in ∂x et per partes integrata, casibus quibus exponens n est fractus, ad logarithmos perducit, cum tamen pro terminis integrationis supra stabilitis valor integralis $\int \mathrm{V} \partial y$ semper sit $= \frac{\pi}{4(n + 1)}$, quemadmodum etiam sequens problema ostendet, cujus solutio a praecedente, quoad methodum penitus est diversa.

Problema 2.

§. 5. *Si fuerit* $\mathrm{V} = \int \partial y \,(xx + yy)^n \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } y = 0 \\ \text{ad } y = \sqrt{1 - xx}\end{smallmatrix}\right]$, *invenire integrale* $\int \mathrm{V} \partial x \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } x = 0 \\ \text{ad } x = 1\end{smallmatrix}\right]$.

Solutio.

Quoniam in priore integratione x est constans, ponatur $y = xu$, eritque $\partial y = x \partial u$ atque $xx + yy = xx\,(1 + uu)$, unde sequitur

$$V = x^{2n+1} \int \partial u \, (1 + uu)^n \left[\begin{array}{l} \text{ab } u = 0 \\ \text{ad } u = \frac{\sqrt{1-xx}}{x} \end{array} \right].$$

Hinc intelligitur statim poni posse $u = \frac{\sqrt{1-xx}}{x}$, unde fit

$$\partial u = \frac{-\partial x}{xx\sqrt{1-xx}} \quad \text{et} \quad 1 + uu = \frac{1}{xx},$$

quibus substitutis prodibit

$$V = - x^{2n+1} \int \frac{\partial x}{x^{2n+2}\sqrt{1-xx}}$$

quod integrale per hypothesin fit evanescens posito $u = 0$, vel $y = 1$.

Nunc igitur habebimns

$$\int V \partial x = -\int x^{2n+1} \partial x \int \frac{\partial x}{x^{2n+2}\sqrt{1-xx}}$$

unde per Lemma notissimum $\int P\partial Q = PQ - \int Q\partial P$ habebimus

$$\int V \partial x = -\frac{x^{2n+2}}{2n+2} \int \frac{\partial x}{x^{2n+2}\sqrt{1-xx}} + \int \frac{\partial x}{(2n+2)\sqrt{1-xx}}$$

ubi prius membrum sponte evanescit casu $x = 0$. Posito autem $x = 1$ erit

$$\int V \partial x \left[\begin{array}{l} \text{ab } x = 0 \\ \text{ad } x = 1 \end{array} \right] = \frac{1}{2n+2} \cdot \frac{\pi}{2} = \frac{\pi}{4(n+1)}$$

ut supra invenimus.

Scholion.

§. 6. Cum saepissime intersit nosse varias methodos, quibus ad eandem veritatem pertingere licet, pluribus forte non displicebit, si binis superioribus solutionibus ejusdem problematis adjungamus tertiam ex alio fonte derivatam, ubi scilicet integratio per idoneum multiplicatorem perficitur. Hujusmodi igitur solutionem in sequenti problemate, jam duplici modo soluto, ob oculos ponam.

Problema 3.

§. 7. *Si fuerit* $V = \int \partial y\,(xx + yy)^n \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } y = 0\\ \text{ad } y = \sqrt{1 - xx}\end{smallmatrix}\right]$ *investigare integrale* $\int V \partial x \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } x = 0\\ \text{ad } x = 1\end{smallmatrix}\right]$.

Solutio.

Cum sit V certa functio binarum variabilium x et y, quaeramus ejus differentiale, si tam x quam y variabiles statuantur, eritque

$$\partial V = \partial y\,(xx + yy)^n + 2nx\partial x \int \partial y\,(xx + yy)^{n-1}$$

cujus pars posterior signo summatorio affecta ad formam, quam V vocavimus reducitur, ponendo

$$\int \partial y\,(xx + yy)^{n-1} = Ay(xx + yy)^n + B\int \partial y\,(xx + yy)^n$$

ac differentiatione instituta reperietur fore $A = -\frac{1}{2nxx}$ et $B = \frac{2n+1}{2nxx}$ quibus valoribus substitutis positoque $\sqrt{1 - xx}$ loco y habebimus

$$\int \partial y\,(xx + yy)^{n-1} = -\frac{\sqrt{1-xx}}{2nxx} + \frac{2n+1}{2nxx} V$$

Hoc valore substituto habebimus hanc aequationem resolvendam:

$$\partial V = \frac{-\partial x}{x\sqrt{1 - xx}} + (2n + 1)\frac{V\partial x}{x}$$

qua ducta in multiplicatorem x^{-2n-1} fiet integrabilis, prodibitque

$$\int V \partial x = -x^{2n+1} \int \frac{x^{-2n-2}\partial x}{\sqrt{1 - xx}}$$

ut supra §. 5. invenimus, unde pro terminis integrationis stabilitis sequitur fore

$$\int V \partial x \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } x = 0\\ \text{ad } x = 1\end{smallmatrix}\right] = \frac{\pi}{4(n+1)}.$$

Problema 4.

§. 8. *Manente* $V = \int \partial y\,(xx + yy)^n \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } y = 0\\ \text{ad } y = \sqrt{1 - xx}\end{smallmatrix}\right]$ *investigare integrale* $\int Vx\partial x \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } x = 0\\ \text{ad } x = 1\end{smallmatrix}\right]$.

Solutio.

Cum supra §. 5. invenerimus

$$V = - x^{2n+1} \int \frac{\partial x}{x^{2n+2} \sqrt{1-xx}}$$

manifestum est pro nostro problemate fore

$$\int V x \partial x = - \int x^{2n+2} \partial x \int \frac{\partial x}{x^{2n+2} \sqrt{1-xx}}$$

unde per notissimam reductionem adipiscimur

$$\int V x \partial x = - \frac{x^{2n+3}}{2n+3} \int \frac{\partial x}{x^{2n+2} \sqrt{1-xx}} + \frac{1}{2n+3} \int \frac{x \partial x}{\sqrt{1-xx}}.$$

Quoniam autem pars prior sponte evanescit posito $x = 0$, altera vero fit $C - \frac{\sqrt{1-xx}}{2n+3}$, constante ita determinata ut etiam haec pars evanescat posito $x = 0$ erit

$$\int V x \partial x \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } x = 0\\ \text{ad } x = 1\end{smallmatrix}\right] = \frac{1}{2n+3}.$$

Scholion.

§. 9. Simili prorsus modo pro iisdem terminis integrationis inveniri poterunt sequentes integrationes formularum potestatibus tam paribus quam imparibus ipsius x affectarum:

$$\int V x^2 \partial x = \frac{1}{2n+4} \cdot \frac{\pi}{2}.$$

$$\int V x^3 \partial x = \frac{2}{3} \cdot \frac{1}{2n+5}.$$

$$\int V x^4 \partial x = \frac{1 \cdot 3}{2 \cdot 4} \cdot \frac{1}{2n+6} \cdot \frac{\pi}{2}.$$

$$\int V x^5 \partial x = \frac{2 \cdot 4}{3 \cdot 5} \cdot \frac{1}{2n+7}.$$

$$\int V x^6 \partial x = \frac{1 \cdot 3 \cdot 5}{2 \cdot 4 \cdot 6} \cdot \frac{1}{2n+8} \cdot \frac{\pi}{2}.$$

$$\int V x^7 \partial x = \frac{2 \cdot 4 \cdot 6}{3 \cdot 5 \cdot 7} \cdot \frac{1}{2n+9},$$

et ita porro.

Problema 5.

§. 10. *Si fuerit* $V = \int \partial y\, (x^m + y^m)^n \left[\begin{matrix}\text{ab } y = 0\\ \text{ad } y = \sqrt[m]{1-x^m}\end{matrix}\right]$ *invenire integrale* $\int V x^\lambda \partial x \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } x = 0\\ \text{ad } x = 1\end{smallmatrix}\right]$.

Solutio.

Statuamus ut supra §. 5. fecimus $y = ux$, eritque $\partial y = x\partial u$ et $x^m + y^m = x^m(1 + u^m)$ et functio proposita fit

$$V = x^{mn+1} \int \partial u\, (1 + u^m)^n \left[\begin{array}{l} \text{ab } u = 0 \\ \text{ad } u = \dfrac{\sqrt[m]{1 - x^m}}{x} \end{array}\right].$$

Nihil igitur impedit quo minus statim ponamus $u = \dfrac{\sqrt[m]{1 - x^m}}{x}$, eritque

$$\partial u = -\frac{\partial x}{xx\,(1 - x^m)^{\frac{m-1}{m}}}$$

$$1 + u^m = \frac{1}{x^m}$$

quibus substitutis habebimus

$$V = -x^{mn+1} \int \frac{\partial x\,(1 - x^m)^{\frac{1-m}{m}}}{x^{mn+2}}$$

quod integrale per hypothesin evanescere debet facto $u = 0$, hoc est $x = 1$. Invento jam hoc valore V habebimus

$$\int V x^\lambda \partial x = -\int x^{mn+\lambda+1} \partial x \int \frac{\partial x\,(1 - x^m)^{\frac{1-m}{m}}}{x^{mn+2}}$$

sive reductione ope Lemmatis notissimi facta nanciscimur

$$\int V x^\lambda \partial x = -\frac{x^{mn+\lambda+2}}{mn+\lambda+2} \int \frac{\partial x\,(1 - x^m)^{\frac{1-m}{m}}}{x^{mn+2}}$$
$$+ \frac{1}{mn+\lambda+2} \int \frac{x^\lambda\, \partial x}{(1 - x^m)^{\frac{m-1}{m}}}$$

ubi prius membrum pro termino integrationis $x = 0$ evanescit, ita ut habeamus

$$\int V x^\lambda \partial x = \frac{1}{mn+\lambda+2} \int \frac{x^\lambda \partial x}{(1-x^m)^{\frac{m-1}{m}}}$$

quod integrale pro quolibet exponente λ facile assignari poterit et pro terminis integrationis stabilitis semper constantem habebit valorem. Quod si igitur ponatur

$$\int \frac{x^\lambda \partial x}{(1-x^m)^{\frac{m-1}{m}}} \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } x=0\\ \text{ad } x=1\end{smallmatrix}\right] = \Delta$$

manifestum est fore

$$\int V x^\lambda \partial x \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } x=0\\ \text{ad } x=1\end{smallmatrix}\right] = \frac{\Delta}{mn+\lambda+2}.$$

Corollarium 1.

§. 11. Ponatur $\lambda = 0$ et $m = 2$ eritque

$$\Delta = \int \frac{\partial x}{\sqrt{1-xx}} \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } x=0\\ \text{ad } x=1\end{smallmatrix}\right] = \frac{\pi}{2},$$

ideoque

$$\int V \partial x \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } x=0\\ \text{ad } x=1\end{smallmatrix}\right] = \frac{\pi}{4(n+1)}$$

quemadmodum etiam supra §§. 3, 5 et 7 jam invenimus.

Corollarium 2.

§. 12. Si fuerit $\lambda = m-1$, erit

$$\Delta = \int \frac{x^{m-1} \partial x}{(1-x^m)^{\frac{m-1}{m}}} \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } x=0\\ \text{ad } x=1\end{smallmatrix}\right].$$

Statuatur $1 - x^m = z$, eritque $x^{m-1}\partial x = -\frac{\partial z}{m}$ unde intelligitur fore

$$\Delta = + \int \frac{\partial z}{m z^{\frac{m-1}{m}}} \left[\begin{smallmatrix}\text{a } z=0\\ \text{ad } z=1\end{smallmatrix}\right] = z^{\frac{1}{m}} + C$$

quod cum evanescere debeat casu $z = 0$, fiet $C = 0$, pro altero vero integrationis termino $z = 1$ fiet $\Delta = 1$, hincque concluditur fore

$$\int V x^{m-1} \partial x \left[\begin{smallmatrix} \text{ab } x = 0 \\ \text{ad } x = 1 \end{smallmatrix}\right] = \frac{1}{1 + m(n+1)}$$

Hinc si fuerit $m = 2$ erit

$$\int V x \partial x \left[\begin{smallmatrix} \text{ab } x = 0 \\ \text{ad } x = 1 \end{smallmatrix}\right] = \frac{1}{2n+3}$$

ut supra §. 8. invenimus.

Scholion.

§. 13. Hac problematum, arctissimo inter se vinculo junctorum, serie expedita, aggrediemur aliud formularum integralium duplicatarum genus, cui tractando ansam mihi praebuit formula illa $\iint \partial x \partial y \sqrt{cc - xx - yy}$, cujus valorem Eulerus ab $x = 0$ ad $x = a$ et ab $y = 0$ ad $y = b$ investigare docuit in Tomo XIV Novor. Commentariorum. Sequentia duo problemata exhibebunt valores formularum $\iint \frac{\partial x \partial y}{\sqrt{cc \pm xx \pm yy}}$ pro iisdem terminis integrationis.

Prolema 6.

§. 14. *Proposita formula integrali duplicata* $V = \iint \frac{\partial x \partial y}{\sqrt{cc - xx - yy}}$ *ejus valorem investigare ab* $x = 0$ *ad* $x = a$ *et ab* $y = 0$ *ad* $y = b$ *extensum.*

Solutio.

Sit primo sola y variabilis, eritque

$$V = \int \partial x \int \frac{\partial y}{\sqrt{cc - xx - yy}} \left[\begin{smallmatrix} \text{ab } y = 0 \\ \text{ad } y = b \end{smallmatrix}\right].$$

Facile autem intelligitur fore

$$\int \frac{\partial y}{\sqrt{cc - xx - yy}} = \text{Arc. Sin } \frac{y}{\sqrt{cc - xx}} + C$$

quod cum sponte evanescat sumto $y = 0$, posito pro altero integrationis termino $y = b$, habebimus

$$\int \frac{\partial y}{\sqrt{cc - xx - yy}} \left[\begin{smallmatrix} \text{ab } y = 0 \\ \text{ad } y = b \end{smallmatrix}\right] = \text{Arc. sin } \frac{b}{\sqrt{cc - xx}}$$

et formula proposita fiet

$$V = \int \partial x \,.\, A.\sin \frac{b}{\sqrt{cc - xx}} \left[\begin{matrix}\text{ab } x = 0\\ \text{ad } x = a\end{matrix}\right].$$

Jam per Lemma notissimum $\int P\partial Q = PQ - \int Q\partial P$ erit

$$\int \partial x A.\sin \frac{b}{\sqrt{cc - xx}} = xA.\sin \frac{b}{\sqrt{cc - xx}} - \int \frac{bxx\partial x}{(cc - xx)\sqrt{cc - xx - yy}}$$

quod postremum membrum ita repraesentari potest

$$\int \frac{bxx\partial x}{(cc - xx)\sqrt{cc - xx - yy}} = -\int \frac{b\partial x}{\sqrt{cc - bb - xx}} + \int \frac{bcc\partial x}{(cc - xx)\sqrt{cc - xx - yy}}.$$

Est vero, uti constat,

$$\int \frac{b\partial x}{\sqrt{cc - bb - xx}} = bA.\sin \frac{x}{\sqrt{cc - bb}}$$

Secundum vero membrum, posito $x = c \sin \Phi$, fiet

$$\int \frac{bcc\partial x}{(cc - xx)\sqrt{cc - bb - xx}} = \frac{bc\partial\Phi}{\cos\Phi \sqrt{cc \cos\Phi^2 - bb}}$$

quod ita repraesentari potest:

$$\int \frac{bcc\partial x}{(cc - xx)\sqrt{cc - bb - xx}} = \frac{bc\partial\Phi}{\cos\Phi^2} : \sqrt{cc - \frac{bb}{\cos\Phi^2}}.$$

Quod si nunc ponatur $\operatorname{tg}\Phi = \frac{z}{b}$, erit $\frac{b\partial\Phi}{\cos\Phi^2} = \partial z$, atque $\frac{bb}{\cos\Phi^2} = bb + zz$, ita ut habeamus

$$\int \frac{bcc\partial x}{(cc - xx)\sqrt{cc - bb - xx}} = \int \frac{c\partial z}{\sqrt{cc - bb - zz}}$$

unde cum sit

$$\int \frac{c\partial z}{\sqrt{cc - bb - zz}} = cA.\sin \frac{z}{\sqrt{cc - bb}}$$

collectis omnibus terminis pro formula nostra proposita adepti simus integrale

$$V = xA.\sin \frac{b}{\sqrt{cc - xx}} + bA.\sin \frac{x}{\sqrt{cc - bb}} - cA.\sin \frac{z}{\sqrt{cc - bb}}$$

quod sponte evanescit pro termino integrationis $x = 0$. Sumto autem $x = a$, hoc est $\sin\Phi = \frac{a}{c}$ et $\operatorname{tg}\Phi = \frac{a}{\sqrt{cc - aa}}$ et $z = \frac{ab}{\sqrt{cc - aa}}$, pro terminis integrationis stabilitis fiet

$$V = aA.\sin \frac{b}{\sqrt{cc - aa}} + bA.\sin \frac{a}{\sqrt{cc - bb}} - cA.\sin \frac{ab}{\sqrt{(cc - aa)(cc - bb)}}$$

Problema 7.

§. 15. *Proposita formula integrali duplicata* $V = \iint \frac{\partial x \partial y}{\sqrt{cc + xx + yy}}$ *ejus valorem investigare, si integralia primo ab* $x = 0$ *ad* $x = a$ *tum vero ab* $y = 0$ *ad* $y = b$ *usque extendantur.*

Solutio.

Spectetur primo sola y ut variabilis, atque habebimus

$$V = \int \partial x \int \frac{\partial y}{\sqrt{cc + xx + yy}} \left[\begin{matrix}\text{ab } y = 0\\ \text{ad } y = b\end{matrix}\right].$$

Est vero, uti constat ex Euleri Inst. Calculi integralis Tomo I. Cap. 2. §. 89, si ibi ponatur $\beta = 0$, $\alpha = cc + xx$, $\gamma = 1$ et $x = y$

$$\int \frac{\partial y}{\sqrt{cc + xx + yy}} = C + l(y + \sqrt{cc + xx + yy})$$

unde, quia pro $y = 0$ fit $C = - l\sqrt{cc + xx}$ concluditur fore

$$\int \frac{dy}{\sqrt{cc + xx + yy}} \left[\begin{matrix}\text{ab } y = 0\\ \text{ad } y = b\end{matrix}\right] = l \frac{b + \sqrt{cc + bb + xx}}{\sqrt{cc + xx}}$$

ita ut habeamus

$$V = \int \partial x \, l \frac{b + \sqrt{cc + bb + xx}}{\sqrt{cc + xx}} \left[\begin{matrix}\text{ab } x = 0\\ \text{ad } x = a\end{matrix}\right].$$

Quod si nunc in subsidium vocetur Lemma illud notissimum,

$$\int P\partial Q = PQ - \int Q\partial P$$

prodibit

$$V = x\, l \frac{b + \sqrt{cc + bb + xx}}{\sqrt{cc + xx}} + \int \frac{bxx\partial x}{(cc + xx)\sqrt{cc + bb + xx}}$$

Cum autem sit

$$\frac{xx\partial x}{(cc + xx)\sqrt{cc + bb + xx}} = \frac{\partial x}{\sqrt{cc + bb + xx}} - \frac{cc\partial x}{(cc + xx)\sqrt{cc + bb + xx}}$$

$$\text{ob } \int \frac{\partial x}{\sqrt{cc + bb + xx}} = l \cdot \frac{x + \sqrt{cc + bb + xx}}{\sqrt{cc + bb}}$$

postrema pars summatoria in valore illo V occurrens erit

$$\int \frac{bxx\partial x}{(cc + xx)\sqrt{cc + bb + xx}} = b\, l \frac{x + \sqrt{cc + bb + xx}}{\sqrt{cc + bb}} - \int \frac{bcc\partial x}{(cc + xx)\sqrt{cc + bb + xx}}$$

Statuatur nunc $x = c.tg\Phi$, ita ut sit $\partial x = \frac{c\partial\Phi}{\cos\Phi^2}$, $cc + xx = \frac{cc}{\cos\Phi^2}$ atque habebimus

$$\int \frac{bcc\partial x}{(cc + xx)\sqrt{cc + bb + xx}} = \int \frac{bc\partial\Phi}{\sqrt{bb + \frac{cc}{\cos\Phi^2}}}$$

quod etiam ita repraesentare licet:

$$\int \frac{bc\partial\Phi}{\sqrt{bb + \frac{cc}{\cos\Phi^2}}} = \int \frac{bc\partial\Phi\cos\Phi}{\sqrt{cc + bb - bb\sin\Phi^2}} = \frac{c}{\sqrt{cc + bb}} \int \frac{b\partial\Phi\cos\Phi}{\sqrt{\left(1 - \frac{bb\sin\Phi^2}{cc + bb}\right)}}$$

quae postrema formula, posito $\frac{b\sin\Phi}{\sqrt{cc + bb}} = z$, abit in

$$c\int \frac{\partial z}{\sqrt{1 - zz}} = c\,\mathrm{A}.\sin\frac{b\sin\Phi}{\sqrt{cc + bb}}$$

hincque collectis terminis erit

$$\mathrm{V} = x\,l\,\frac{b + \sqrt{cc + bb + xx}}{\sqrt{cc + xx}} + b\,l\,\frac{x + \sqrt{cc + bb + xx}}{\sqrt{cc + bb}} - c\mathrm{A}.\sin\frac{b\sin\Phi}{\sqrt{cc + bb}}$$

quod sponte evanescit posito $x = 0$. Sumto autem $x = a$, sive $\operatorname{tg}\Phi = \frac{a}{c}$ hoc est $\sin\Phi = \frac{a}{\sqrt{aa + cc}}$, habebimus pro terminis integrationis stabilitis

$$\mathrm{V} = a\,l\,\frac{b + \sqrt{cc + bb + aa}}{\sqrt{cc + aa}} + b\,l\,\frac{a + \sqrt{cc + bb + aa}}{\sqrt{cc + bb}} - c\mathrm{A}.\sin\frac{ab}{\sqrt{(cc + aa)(cc + bb)}}.$$

Scholion.

§. 16. Hujus postremi problematis solutio quidem tanquam corollarium ex praecedentis solutione deduci potuisset, statuendo $x\sqrt{-1}$ et $y\sqrt{-1}$ loco x et y et imaginarios arcus per notas reductiones ad logarithmos transmutando. Verum solutio directa hic exposita ob egregiam ejus simplicitatem longe anteferenda est illi, quae per tot et tantopere operosas reductiones procedit.

XII.

FORMULARUM QUARUNDAM
INTEGRALIUM IRRATIONALIUM REDUCTIO AD RATIONALITATEM.

Conventui exhibita die 23. Aug. 1826.

§. 1. Cum aliquo abhinc tempore, occasione problematis mechanici, speciem aliquam curvarum synchronarum spectantis, methodum quaererem formulam differentialem irrationalem, elementum temporis exprimentem, rationalem reddendi et integrandi, frustra quidem desudavi, neque ad scopum optatum pertingere mihi licuit. Interim tamen non omnes hujus laboris fructus me perdidisse existimo; varia enim conamina, eum in finem suscepta, viam mihi apperuere plurimas formulas differentiales irrationales, et quidem maxime generales, idonearum substitutionum ope rationales reddendi. Ex problematum a me solutorum serie praecipua, generaliora nempe, hic exhibere eo minus dubito, quod ob defectum methodi universalis formulas differentiales irrationales ad rationalitatem perducendi nihil aliud superest, nisi ut quisque catalogum formularum ad rationalitatem reducibilium pro viribus supplere studeat.

Problema 1.

§. 2. *Denotante i numerum quemcunque, sive integrum, sive fractum, ad rationalitate perducereem formulam:*

$$P = \int \frac{x^{in-1}(\alpha + \beta x^{in})^r \partial x}{(f + g x^{in})^\lambda \sqrt[n]{(a + b x^{in})^m}}.$$

Solutio.

Ponatur $a + b x^{in} = y^n$, eritque $x^{in-1}\partial x = \frac{y^{n-1}\partial y}{bi}$ et $x^{in} = \frac{y^n - a}{b}$ unde sequitur fore:

$$(\alpha + \beta x^{in})^r = \frac{(\alpha b + \beta (y^n - a))^r}{b^r};$$

$$(f + g x^{in})^\lambda = \frac{(bf + g (y^n - a))^\lambda}{b^\lambda}.$$

quibus in formula proposita substitutis, ea induet sequentem formam

$$P = \frac{b^{\lambda - r - 1}}{i} \int \frac{y^{n - m - 1} \partial y \, (\alpha b - \beta a + \beta y^n)^r}{(bf - ag + gy^n)^\lambda}$$

quae formula igitur semper est rationalis, quicunque numerus pro i accipiatur, fractis non exclusis.

Corollarium 1.

§. 3. Sit exempli gratia $i = \frac{1}{2}$ eritque formula proposita rationalis reddenda

$$P = \int \frac{x^{\frac{1}{2}n - 1} (\alpha + \beta x^{\frac{1}{2}n})^r}{(f + g x^{\frac{1}{2}n})^\lambda \sqrt[n]{(a + b x^{\frac{1}{2}n})^m}}$$

quae igitur, ob n numerum integrum quemcunque, maxime est irrationalis. Rationaliter autem erit

$$P = 2 b^{\lambda - r - 1} \int \frac{y^{n - m - 1} (\alpha b - \beta a + \beta y^n)^r \partial y}{(bf - ag + gy^n)^\lambda}$$

Corollarium 2.

§. 4. Sit $r = 0$, eritque formula rationalis reddenda:

$$P = \int \frac{x^{in - 1} \partial x}{(f + g x^{in})^\lambda \sqrt[n]{(a + b x^{in})^m}}.$$

formula vero ad rationalitatem perducta ita se habebit:

$$P = \frac{b^{\lambda - 1}}{i} \int \frac{y^{n - m - 1} \partial y}{(bf - ag + gy^n)^\lambda}$$

Corollarium 3.

§. 5. Exhibeamus casum exponentibus numericis affectum, statuendo in praecedente corollario $m = 2$, $n = 3$, $i = 1$, $\lambda = 1$, eritque formula reducenda

$$P = \int \frac{x^2 \partial x}{(f + g x^3) \sqrt[3]{a + b x^3}}$$

quae ad rationalitatem perducta hans induct formam:

$$P = \int \frac{\partial y}{bf - ag + gy},$$

Problema 2.

§. 6. *Denotante i numerum quemcunque, sive integrum, sive fractum, ad rationalitatem perducere formulam:*

$$P = \int \frac{x^{im-1}(\alpha + \beta x^{in})^r \partial x}{(f + gx^{in})^\lambda \sqrt[n]{(a + bx^{in})^m}}.$$

Solutio.

Ponamus $\frac{x^i}{\sqrt[n]{(a + bx^{in})}} = y$, ita ut habeamus $\frac{x^{in}}{a + bx^{in}} = y^n$, sumtisque logarithmis erit

$$n\,ly = in\,lx - l(a + bx^{in})$$

unde sumtis differentialibus fiet

$$\frac{\partial y}{y} = \frac{ai\partial x}{x(a + bx^{in})}$$

Hinc autem sequitur fore

$$\partial y = \frac{aix^{i-1}\partial x}{(a + bx^{in})\sqrt[n]{(a + bx^{in})}}$$

ex quo concluditur fore

$$\frac{x^{i-1}\partial x}{\sqrt[n]{a + bx^{in}}} = \frac{(a + bx^{in})\partial y}{ai}.$$

Est vero $x^{in} = \frac{ay^n}{1 - by^n}$, ideoque

$$a + bx^{in} = \frac{a}{1 - by^n}$$

unde porro fit

$$\frac{x^{i-1}\partial x}{\sqrt[n]{(a + bx^{in})}} = \frac{\partial y}{i(1 - by^n)}:$$

Tum vero, quoniam est

$$\frac{x^{im}}{\sqrt[n]{(a+bx^{in})^m}} = y^m$$

habebimus

$$\sqrt[n]{(a+bx^{in})^m} = \frac{x^{im}}{y^m}$$

unde ob $\frac{\partial x}{x} = \frac{(a+bx^{in})\,\partial y}{aiy}$ fiet

$$\frac{\partial x}{\sqrt[n]{(a+bx^{in})^m}} = \frac{y^{m-1}\,\partial y}{ix^{im-1}(1-by^n)}$$

ideoque

$$\frac{x^{im-1}\,\partial x}{\sqrt[n]{(a+bx^{in})^m}} = \frac{y^{m-1}\,\partial y}{i(1-by^n)}.$$

Cum porro sit

$$x^{in} = \frac{ay^n}{1-by^n}$$

facile intelligitur fore

$$(\alpha+\beta x^{in})^r = \frac{(\alpha-(\alpha b-\beta a)\,y^n)^r}{(1-by^n)^r}$$

$$(f+gx^{in})^\lambda = \frac{(f-c(bf-ag)\,y^n)^\lambda}{(1-by^n)^\lambda}$$

his valoribus in formula proposita rite substitutis nanciscimur

$$P = \frac{1}{i}\int\frac{y^{m-1}(\alpha-(\alpha b-\beta a)\,y^n)^r\,\partial y}{(1-by^n)^{r-\lambda+1}(f-(bf-ag)\,y^n)^\lambda}$$

quae igitur rationalis erit, quicquid fuerit i.

Corollarium 1.

§. 7. Sit $r=0$ et $\alpha=1$, eritque formula ad rationalitatem perducenda haec:

$$P = \int\frac{x^{im-1}\,\partial x}{(f+gx^{in})^\lambda\sqrt[n]{(a+bx^{in})^m}}$$

ipsa vero formula rationalis erit

$$P = \frac{1}{i}\int\frac{y^{m-1}(1-by^n)^{\lambda-1}\,\partial y}{(f-(bf-ag)\,y^n)^\lambda}$$

Corolarium 2.

§. 8. Ponatur in superiore Corollario $i = 1$, $\lambda = 1$ $m = 1$, $f = 1$ et $g = 0$, eritque formula irrationalis proposita

$$P = \int \frac{\partial x}{\sqrt[n]{(a + b x^n)}}$$

formula vero rationalis reddita

$$P = \int \frac{\partial y}{1 - b y^n}$$

Corollarium 3.

§. 9. Quod si reductionem Corollarii 1 (§. 7.) combinemus cum reductione Corollarii 1 praecedentis problematis (§. 4.) reddita erit rationalis formula haec:

$$P = \int \frac{(A x^{in-1} + B x^{im-1}) \partial x}{(f + g x^{in})^\lambda \sqrt[n]{(a + b x^{in})^m}}.$$

Scholion 1.

§. 10. Quamvis haec formula ex casibus tantum specialibus formularum generaliorum in problematibus nostris primo et secundo tractatarum sit conflata, ea tamen adeo est generalis, ut tanquam casum specialissimum in se complectatur formulam illam

$$\int \frac{\partial x (1 - x^{n-1})}{(1 - x^n) \sqrt[2n]{2 x^n - 1}},$$

quam Eulerus in Tomo IX. Nov. Actor.pag 112 ad rationalitatem perducere docuit, tanquam formulam irrationalem satis late patentem.

Scholion 2.

§. 11. Formula nostra §. 9. exhibita adeo generalior est illa quam Eulerus in Tomo X. Nov. Act. pag. 17 rationalim reddidit, scilicet

$$\int \frac{(P x^{m-1} + Q x^{n-1}) \partial x}{\sqrt[n]{(a + b x^n)^m}}$$

denotantibus P et Q functiones formae x^n. In nostra enim P et Q sunt functiones formae $(f + g x^{in})^{-\lambda}$, tum vero numeri m et n in exponentibus ipsius x occurrentes multiplicatorem habent i. Multo adhuc generalior est expressio ex formulis ipsorum problematum nostrorum 1 et 2 composita haec:

$$\int \frac{(A x^{in-1} \pm B x^{im-1})(\alpha + \beta x^{in})^r \partial x}{(f + g x^{in})^\lambda \sqrt[n]{(a + b x^{in})^m}}$$

quae, cum utramque partem rationalem reddiderimus, quoque ad rationalitatem est perducta.

Scholion 3.

§. 12. Quin etiam, si potestates ipsius x in binis factoribus binomialibus fuerint diversae, reductio ad rationalitatem nostrarum formularum succedet adhibitis iisdem substitutionibus, quemadmodum ex solutione sequentium binorum problematum patefiet.

Problema 3.

§. 13. *Ad rationalitatem perducere formulam:*

$$P = \int \frac{x^{in-1} (\alpha + \beta x^{2in})^r \partial x}{(f + g x^{\delta in})^\lambda \sqrt[n]{(a + b x^{in})^m}}.$$

Solutio.

Sit ut supra §. 2. statuimus

$a + b x^{in} = y^n$, ita ut $x^{in-1} \partial x = \frac{y^{n-1} \partial y}{bi}$ et

$x^{in} = \frac{y^n - a}{b}$, atque habebimus

$$(\alpha + \beta x^{\varepsilon in})^r = \frac{(\alpha b^\varepsilon + \beta (y^n - a)^\varepsilon)^r}{b^{\varepsilon r}}$$

$$(f + g x^{\delta in})^\lambda = \frac{(f b^\delta + g (y^n - a)^\delta)^\lambda}{b^{\delta\lambda}}$$

quibus substitutis nanciscimur

$$P = \frac{b^{\delta\lambda - \varepsilon r - 1}}{i} \int \frac{y^{n-m-1} (\alpha b^{\varepsilon} + \beta (y^n - a)^{\varepsilon})^r \partial y}{(f b^{\delta} + g (y^n - a)^{\delta})^{\lambda}}$$

Corollarium.

§. 14. Evidens est sumto $\delta = 1$ et $\varepsilon = 1$ hunc casum ad casum problematis primi reduci, quod etiam tenendum est de problemate sequente in quo continebitur casus problematis secundi.

Problema 4.

§. 15. *Ad rationalitatem perducere hanc formulam:*

$$P = \int \frac{x^{im-1} (\alpha + \beta x^{\varepsilon in})^r \partial x}{(f + g x^{\delta in})^{\lambda} \sqrt[n]{(a + b x^{in})^m}}.$$

Solutio.

Ponatur, ut supra §. 6. fecimus,

$$\frac{x^i}{\sqrt[n]{(a + b x^{in})}} = y, \text{ eritque } \frac{x^{in}}{a + b x^{in}} = y^n \text{ et}$$

$$\frac{x^{im-1} \partial x}{\sqrt[n]{(a + b x^{in})^m}} = \frac{y^{m-1} \partial y}{i (1 - b y^n)}.$$

Porro cum sit $x^{in} = \frac{a y^n}{1 - b y^n}$, erit $x^{\varepsilon in} = \frac{a^{\varepsilon} y^{\varepsilon n}}{(1 - b y^n)^{\varepsilon}}$ et $x^{\delta in} = \frac{a^{\delta} y^{\delta n}}{(1 - b y^n)^{\delta}}$,
Hinc intelligitur fore

$$(\alpha + \beta x^{\varepsilon in})^r = \frac{(\alpha (1 - b y^n)^{\varepsilon} + \beta a^{\varepsilon} y^{\varepsilon n})^r}{(1 - b y^n)^{\varepsilon r}}$$

$$(f + g x^{\delta in})^{\lambda} = \frac{f (1 - b y^n)^{\delta} + g a^{\delta} y^{\delta n})^{\lambda}}{(1 - b y^n)^{\delta\lambda}}$$

quibus substitutis nanciscimur

$$P = \frac{1}{i} \int \frac{y^{m-1} (\alpha (1 - b y^n)^{\varepsilon} + \beta a^{\varepsilon} y^{\varepsilon n})^r \partial y}{(1 - b y^n)^{\varepsilon r - \delta\lambda + 1} (f (1 - b y^n)^{\delta} + g a^{\delta} y^{\delta n})^{\lambda}}$$

Additamentum.

§. 16. Manifestum est formulas generales in praecedentibus problematibus ad rationalitatem perductas innumeros casus specialiores in se complecti, quos igitur omnes nunc ab irrationalitate liberare et integrare licebit. Fatendum tamen est dari quoque innumeras alias formas, quae in nostris formulis generalibus non sunt contentae aliasque postulant substitutiones plus minusve donum divinationis exercentes. Haud paucae interea formulae, licet in superioribus non sint contentae, per similes substitutiones rationales fiunt. Harum simpliciores aliquot hic exempli causa exhibebo.

Problema 5.

§. 17. *Ab irrationalitate liberare formulam:*

$$P = \int \frac{(1+x)^2 \partial x}{(3x+x^3)\sqrt[3]{(1+3xx)}}.$$

Solutio.

Statuatur $\frac{1-x}{\sqrt[3]{(1+3xx)}} = p$, sumtisque differentialibus logarithmicis habebimus:

$$\frac{(1+x)^2 \partial x}{(1+x)(1+3xx)} = -\frac{\partial p}{p} \text{ unde fit } \frac{(1+x^2)\partial x}{(1+3xx)\sqrt[3]{(1+3xx)}} = -\partial p.$$

Hinc cum sit $\frac{3x+x^3}{1+3xx} = 1-p^3$ sequitur fore

$$P = \int \frac{(1+x)^2 \partial x}{(3x+x^3)\sqrt[3]{(1+3xx)}} = -\int \frac{\partial p}{1-p^3}.$$

Problema 6.

§. 18. *Ab irrationalitate liberare formulam*

$$P' = \frac{(1-x)^2 \partial x}{(3x+x^3)\sqrt[3]{(1+3xx}}.$$

Solutio.

Ponatur $\frac{1+x}{\sqrt[3]{(1+3xx)}} = q$ et procedendo ut solutione problematis 5 habebimus

$$\frac{(1-x)^2\,\partial x}{(1+3xx)\sqrt[3]{(1+3xx)}}=\partial q\,,\ \frac{3x+x^3}{1+3xx}=-(1-q^3)$$

unde sequitur fore

$$P'=\int\frac{(1-x)^2\,\partial x}{(3x+x^3)\sqrt[3]{(1+3xx)}}=-\int\frac{\partial q}{1-q^3}.$$

Corollarium.

§. 19. Haec ambo postrema problemata nobis suppeditant

$$\partial P-\partial P'=\frac{4\,\partial x}{(3+xx)\sqrt[3]{(1+3xx)}}.$$

Hinc autem adipiscimur

$$4\int\frac{\partial x}{(3+xx)\sqrt[3]{(1+3xx)}}=\int\frac{\partial q}{1-q^3}-\int\frac{\partial p}{1-p^3}.$$

Scholion.

§. 20. Reductio ad rationalitatem et integratio formulae in Corollario praecedente rationaliter expressae est argumentum in peculiari dissertatione Tomo X. Novor. Actorum inserta ab Eulero tractatum. Duplex problematis loco citato traditur solutio, quarum prior dat

$$4\int\frac{\partial x}{(3+xx)\sqrt[3]{(1+3xx)}}=\int\frac{\partial q}{1-q^3}-\int\frac{\partial p}{1-p^3}$$

quemadmodum etiam nostrum Corollarium habet. Ipsum integrale hic non exhibeo, ideo quod ab Eulero jam traditum fuit et quod in hac dissertatiuncula tantum de liberatione ab irrationalitate agitur.

XIII.

TENTAMEN
SOLUTIONIS PROBLEMATIS GEOMETRICI MAXIME ARDUI.

Conventui exhibita die 23. Aug. 1826.

§. 1. Considero linteum figuram habens parallelogrammi rectanguli ABCD, plano horizontali impositum, cujus bina latera AB et AC firmier plano affixa concipiantur, latus vero CD baculo annexum, qui circa punctum C, tanquam fixum, elevari queat. Fig. 11.

§. 2. Elevetur igitur iste baculus in situm Cd, ad angulum quem vocemus $DCd = \zeta$, et quaeratur figura et superficies lintei in hoc situ, assumendo scilicet fila, ex quibus linteum textum est, tam extensionem quam contractionem pati.

Investigatio figurae.

§. 3. Statuatur $AB = a$, $AC = b$ et pro filo longitudinali quocunque tzT sit $AT = Ct = t$. Sit z punctum aliquod hujus fili, pro quo statuantur ternae coordinatae $AX = x$, $XY = y$, $YZ = z$; demissoque ex t in rectam CD perpendiculo tv habebimus

$$tv = t \sin\zeta \quad \text{et} \quad Cv = t \cos\zeta.$$

§. 4. Quodsi nunc per puncta t et Z, nec non per v et Y ductae concipiantur rectae tT et vT in T concurrentes, tum vero per v recta vQ lateri CA parallela, erit Fig. 12.

$$tv : YZ = Tv : TY$$
$$Tv : TY = Qv : QP$$
$$Qv : QP = AC : AX$$

unde sequitur fore

$$tv : YZ = AC : AX$$

ita ut habeamus

$$YZ = z = \frac{tx \sin\zeta}{b}$$

unde concluditur fore

$$t = \frac{bz}{x \sin\zeta}.$$

§. 5. Quod si nunc per y agatur recta yR lateri CA parallela, orietur proportio :

$$TQ : Qv = TR : RY$$

sive introducendo valores linearum, haec :

$$t - t\cos\zeta : b = t - y : x$$

unde sequitur fore

$$y = \frac{t(b - x + x\cos\zeta)}{b}$$

§. 6. Sumatur intervallum AT $= t$ constans et prodit aequatio hujus formae

$$y = A - Bx$$

pro linea recta. Hinc intelligitur si per filum longitudinale quodcunque TZt (fig. 1) planum transire concipiatur, ejus sectionem cum plano tabulae fore lineam rectam TYv (fig. 2).

§. 7. In aequatione §. 5. inventa loco t scribatur ejus valor ex §. 4. $t = \frac{bz}{x \sin\zeta}$, eritque

$$y = \frac{z(b - x + x\cos\zeta)}{x \sin\zeta}$$

unde sumto x constante prodit aequatio formae

$$y = Mz - N$$

pro linea recta. Hinc discimus si per punctum quodcunque X sectio fiat plano tabulae normalis, sectionem cum nte o fore lineam rectam ZX.

§. 8. Quod si autem $XY = y$ constans assumatur, ex aequatione $y = \frac{z(b - x + x\cos\zeta)}{x\sin\zeta}$ sequitur aequatio hujus formae:

$$z = \frac{fx}{g - hx}$$

Si igitur per punctum Y secundum lineam YZ, in quolibet sensu, fiat intersectio, sectio cum linteo erit hyperbola.

§. 9. Si denique in eadem expressione supra pro y inventa statuatur $YZ = z$ constans, tum prodit aequatio formae

$$y = \frac{m - nx}{kx}$$

unde patet, si planum concipiatur, plano tabulae parallelum, per punctum Z transiens, ejus sectionem cum linteo quoque fore hyperbolam. Haec sunt quae de figura lintei monenda habuimus.

Investigatio Superficiei.

§. 10. Consideretur elementum areale in plano horizontali
Fig. 13. $YY'\,y'y$, in quo elemento $Xx = \partial x$ constante, ob

$$Yy = \partial y = \frac{\partial t\,(b - bx + x\cos\zeta)}{b} \quad (\S.\ 5.)$$

habebimus

$$YY'\,y'y = \partial x \partial y = \frac{\partial x \partial t\,(b - bx + x\cos\zeta)}{b} = \frac{y\partial x\partial t}{t}.$$

Nunc quaeratur elementum superficiei lintei huic elemento $YY'\,y'y$ imminens, scilicet $ZZ'\,z'z$, quod invenitur si elementum $YY'\,y'y$ multiplicetur per secantem inclinationis elementi $ZZ'\,z'z$ ad planum horizontale.

§. 11. Quo hanc secantem investigare queamus ducamus in
Fig. 14. figura 11$^{\text{ma}}$ rectam XT, in eamque ex Y demittamus perpendiculum YS, junctisque punctis Z et S recta ZS erit angulus YSZ inclinatio plani XZT superficiem lintei tangentis in puncto Z. Secans autem hujus inclinationis quaesita erit $\frac{ZS}{YS}$ et elementum super-

ficiei lintei quaesita ita prodit expressa:

$$ZZ'z'z = YY'y'y \times \frac{ZS}{YS}.$$

§. 12. Jam cum sit triangulum XAT simile triangulo YSX, manifestum est fore

$$XT : XA = YX : YS$$

unde concluditur fore.

$$YS = \frac{XA \cdot YX}{XT} = \frac{xy}{\sqrt{(tt+xx)}}$$

Hinc autem deducitur:

$$ZS = \sqrt{(YZ^2 + YS^2)} = \frac{\sqrt{(zz(tt+xx) + xxyy)}}{tt+xx}$$

unde porro naciscimur:

$$\frac{ZS}{YS} = \frac{\sqrt{(zz(tt+xx)+xxyy)}}{xy}$$

ita ut, substituto in numeratore loco y valore supra §. 7. invento, habeamus:

$$\frac{ZS}{YS} = \frac{1}{xy}\sqrt{\left(ttzz + xxzz + xxzz\,\frac{(b - x + x\cos\zeta)^2}{xx\sin\zeta^2}\right)}:$$

Est vero $xx\sin\zeta^2 = \frac{bbzz}{tt}$ et $xxzz = \frac{ttx^4\sin\zeta^2}{bb}$ quibus substitutis nanciscimur

$$\frac{ZS}{YS} = \frac{1}{xy}\sqrt{\left(ttzz + \frac{ttxx}{bb}(bb - 2x(b-x)(1-\cos\zeta)\right)}.$$

§. 13. Cum igitur supra §. 11. invenerimus

$$ZZ'z'z = YY'y'y \times \frac{ZS}{YS}$$

ex §. 10. vero sit

$$YY'y'y = \frac{y\partial x\partial t}{t}$$

superficies lintei quaesita erit

$$ZZ'z'z = \frac{\partial x\partial t}{b}\sqrt{\left(\frac{bbzz}{xx} + bb - 2x(b-x)(1-\cos\zeta)\right)}$$

sive ob $\frac{bz}{x} = t\sin\zeta$ erit

$$ZZ'z'z = \frac{\partial x\partial t}{b}\sqrt{(tt\sin\zeta^2 + bb - 2x(b-x)(1-\cos\zeta))}.$$

§. 14. Hic igitur duplici integratione opus est, altera pro variabilitate solius x, altera pro variabilitate solius t, priore ab $x = 0$ ad $x = b$, posteriore ab $t = 0$ ad $t = a$ extensa. Quodsi igitur statuatur

$$\int \frac{\partial x}{b} \sqrt{\left(tt \sin\zeta^2 + bb - 2x(b-x)(1-\cos\zeta)\right)} \left[\begin{smallmatrix}\text{ab } x = 0\\ \text{ad } x = b\end{smallmatrix}\right] = \mathrm{T}$$

tum tota superficies quaesita, quam vocemus S, erit

$$\mathrm{S} = \int \mathrm{T}\partial t \left[\begin{smallmatrix}\text{a } t = 0\\ \text{ad } t = a\end{smallmatrix}\right].$$

§ 15. Ponatur jam $x = \frac{b+v}{2}$ et $\zeta = 2\theta$ atque habebimus

$$\mathrm{T} = \int \frac{\partial v}{2b} \sqrt{\left(tt \sin 2\theta^2 + bb \cos\theta^2 + vv \sin\theta^2\right)} \left[\begin{smallmatrix}\text{a } v = -b\\ \text{ad } v = +b\end{smallmatrix}\right].$$

Quia nunc hic sola v ut variabilis spectatur, ponatur brevitatis gratia $tt \sin 2\theta^2 + bb \cos\theta^2 = \mathrm{A}$, eritque

$$\mathrm{T} = \int \frac{\partial v}{2b} \sqrt{\left(\mathrm{A} + vv \sin\theta^2\right)} \left[\begin{smallmatrix}\text{a } v = -b\\ \text{ad } v = +b\end{smallmatrix}\right].$$

Quodsi nunc actu integretur, habebimus primo

$$\mathrm{T} = \frac{v}{4b} \sqrt{(\mathrm{A} + vv \sin\theta^2)} + \frac{\mathrm{A}}{4b} \int \frac{\partial v}{\sqrt{(\mathrm{A} + vv \sin\theta^2)}}.$$

Tum vero, quoniam est

$$\int \frac{\partial v}{\sqrt{(\mathrm{A} + vv \sin\theta^2)}} = \frac{1}{\sin\theta}\, l\left(v \sin\theta + \sqrt{(\mathrm{A} + vv \sin\theta^2)}\right)$$

integrale quaesitum erit

$$\mathrm{T} = \mathrm{C} + \frac{v}{4b} \sqrt{(\mathrm{A} + vv \sin\theta^2)} + \frac{\mathrm{A}}{4b \sin\theta}\, l\left(v \sin\theta + \sqrt{(\mathrm{A} + vv \sin\theta^2}\right.$$

dum scilicet sumatnr a $v = -b$ usque ad $v = +b$.

§. 16. Quoniam igitur, sumto $v = -b$ fieri debet $\mathrm{T} = 0$ erit constans per integrationem ingressa

$$\mathrm{C} = + \tfrac{1}{4} \sqrt{(\mathrm{A} + bb \sin\theta^2)} - \frac{\mathrm{A}}{4b \sin\theta}\, l\left(\sqrt{(\mathrm{A} + bb \sin\theta^2)} - b \sin\theta\right)$$

ita ut habeamus

$$\mathrm{T} = \left\{\begin{matrix} + \tfrac{1}{4} \sqrt{(\mathrm{A} + bb \sin\theta^2)} \\ + \frac{v}{4b} \sqrt{(\mathrm{A} + vv \sin\theta^2)} \end{matrix}\right. + \frac{\mathrm{A}}{4b \sin\theta}\, l \frac{\sqrt{(\mathrm{A} + vv \sin\theta^2)} + v \sin\theta}{\sqrt{(\mathrm{A} + bb \sin\theta^2)} - b \sin\theta} \left.\vphantom{\begin{matrix}1\\1\end{matrix}}\right\}$$

Quod si nunc ponatur, pro altero integrationis termino, $v = + b$, fiet

$$T = \tfrac{1}{2} \surd (A + bb \sin \theta^2) + \frac{A}{4b \sin \theta} \, l \frac{\surd (A + bb \sin \theta^2) + b \sin \theta}{\surd (A + bb \sin \theta^2) - b \sin \theta}$$

sive, restituto loco A suo valore, erit:

$$T = \tfrac{1}{2} \surd (tt \sin 2\,\theta^2 + bb) + \frac{tt \sin 2\,\theta + bb \cos \theta^2}{4b \sin \theta} \, l \frac{\surd (tt \sin 2\,\theta^2 + bb) + b \sin \theta}{\surd\, tt \sin 2\,\theta^2 + bb - b \sin \theta}.$$

§. 17. Vocetur nunc brevitatis gratia

$$\tfrac{1}{2} \surd (tt \sin 2\,\theta^2 + bb) = P$$

$$\frac{tt \sin 2\,\theta^2 + bb \cos \theta^2}{4b \sin \theta} \, l \frac{\surd (tt \sin 2\theta^2 + bb) + b \sin \theta}{\surd (tt \sin 2\,\theta^2 + bb) - b \sin \theta} = Q$$

eritque superficies quaesita

$$S = \int P \partial t + \int Q \partial t \left[{}^{\text{a}}_{\text{ad}} \; {}^{t\,=\,0}_{t\,=\,a}\right].$$

Hic quidem integrale prius $\int P \partial t$ facile assignare licet. Erit enim, a $t = 0$ ad $t = a$ extensum

$$\int P \partial t = \begin{cases} \frac{a}{4} \surd (aa \sin 2\,\theta^2 + bb \\ + \frac{bb}{4 \sin 2\theta} \, l \frac{a \sin 2\,\theta + \surd (aa \sin 2\,\theta^2 + bb)}{a} \end{cases}$$

§. 18. Postremum autem integrale in expressione superficiei S occurrens

$$\int Q \partial t \left[{}^{\text{a}}_{\text{ad}} \; {}^{t\,=\,0}_{t\,=\,a}\right] = \int \partial t \left(\frac{tt \sin 2\,\theta^2 + bb \cos \theta^2)}{4b \sin \theta}\right) l \frac{\surd (tt \sin 2\theta^2 + bb) + b \sin \theta}{\surd (tt \sin 2\theta^2 + bb) - b \sin \theta}$$

non nisi per calculos valde perplexos investigari poterit, meaque tentamina integrationem perficiendi omnia hucusque vana irritaque mansere. Ceterum evidens est expressionem maxime fore transcendentem et non solum logarithmos, sed etiam arcus circulares involvi.

§. 19. Casus autem quo latitudo lintei prae longitudine est valde parva ita ut altiores potestates ipsius t negligi queant, satis commode evolvitur. Erit enim

$$P = \frac{b}{2} + \frac{tt}{4b} \sin 2\,\theta^2$$

$$Q = \frac{b \cos \theta^2}{4 \sin \theta} \left(1 + \frac{4tt}{bb} \sin \theta^2\right) R$$

$$R = l \frac{1 + \sin \theta}{1 - \sin \theta}$$

unde fit superficies

$$S = \frac{bt}{2} + \frac{bt \cos \theta^2}{4 \sin \theta} \, l \, \frac{1 + \sin \theta}{1 - \sin \theta}.$$

§. 20. Sit angulus, ad quem baculus CD elevatur, $\zeta = 60^\circ$, ita ut $\theta = 30$ erit superficies

$$S = \frac{bt}{2}(1 + \tfrac{3}{4} l\, 3) = 0{,}9119796\, bt.$$


C
Y
B
X
Z
z


Fig. 6